DE ECCLESIA AB ANTICHRISTO LIBERANDA, EAque ex Dei promissionibus reparanda:

Cui addita est ad calcem verissima, certissimaque ratio conciliandi dissidii de Cana Domini.

AVCTORE
IOANNE MORELIO.

Ad Sereniss. potentiss. Angliæ, Franciæ, Hiberniæ, &c. Reginam.

LONDINI
Apud Georgium Bischop.
MDXCIIII.

BODLEIAN
17 · 5 · 1908
LIBRARY

SERENISSIMÆ, POTENTISSIMÆQVE REGINÆ Angliæ, Francię, & Hibernię ELIZABETHÆ, Ioannes Morelius ſalutem a Domino, Deóque noſtro in Chriſto Domino plurimam precatur.

SI forte tua Maieſtas, Sereniſſima REGINA, mirabitur; quid ſit quod in tanta procerũ turba, qui hoc ineunte anno, quo ſuum erga eã ſtudiũ, votumq; pro eius ſalute ſoléne teſtétur; apophoreta, ſtrenasque certatim pro ſuis quisq; copiis, opibusque obtulerunt: ego ſenex pene decrepitus, e Gallia religionis cauſſa profugus, fortunisque omnibus exutus, quam primũ facultas oblata eſt: meum quoque apophoreton afferam: eam ſic habere velim: ſperare me, & ita de eius pietate ſapientiaque cõfidere, meum hoc quantulumcumq. in ſpeciem puſillum videatur (charta enim quid vilius?) omnium tamen quæ ei oblata fue-

rint, fore gratissimum, nec ullis procerum gemmis, auróve cessurum.

Si enim verum est, quod ajunt, acceptarum injuriarum ultione nihil esse jucundius, & id verissimum, quod affirmat Dominus Deus noster, sui ipsius propriam ultionē esse; consequitur etiam eam injuriarū persecutionem omnium esse jucundissimam, atque honestissimam, quam Dominus Deus noster nobis efficit. Beata es ergo Serenissima Regina, quæ tuum statum cū Christi Domini regno ita consociasti, ut nullus ei hostis exstiterit, qui idem tibi non fuerit capitalis. Beata es, inquam, quæ inimicitias tua causa nullas habes: Christi Domini, Ecclesiæque causa, nullas, ne potentissimorū quidem Regum inimicitias umquam recusaris. Itaque cum duos inprimis hostes infensissimos habueris; vidimus Dominum Deum nostrum eam ultionem de altero cōfeciſſe tibi; ut *Invictam*, sicut gloriabatur, ejus *classem* per regnorum tuorum fines velut in pœnam mulctamque (ut vocant) honorariam, circumduxerit, eamque ubi visum est, & in scopulos, & in vada impegerit, illiserit, & in profundum maris demerserit: terrestrem vero exercitum, quem paratissimum habebat, afflictum dissiparit. De altero Guisio Duce, qui patris, patruique Cardinalis vestigia secutus, ad regnum Gallia-

rum

rum per tuum, viam ſibi aperiendam putáverat: quiq. fabricam Ieſuitarum domi inſtituram habebat; per quam dolos omnes & fraudes contra caput, ſtatumque tuum fabricaret: videmus meritiſſima cæde, Domini Deique noſtri providentiâ, oportuniſſimo tempore, & Eccleſiæ pene neceſſario, ſicuti ſperamus, ab ipſa ſtirpe ſublatum.

Supereſt Antichriſtus Papa, ſummus omnium machinationum artifex: a quo cum eam injuriam acceperis: quæ ſit & intolerãdâ ſuperbiâ, & rei gravitate omnium acerbiſſima: quantopere debet apud T. Majeſtatem (ut eô relabatur unde orſus eſt ſermo) gratũ accidere: quod iſtud munuſculũ certiſſimam affert ei ab eodem Domino, vindiceque ſuo rationem, quâ pro eo quod Papa inaniſſima ſua bulla: Regnum, Coronam, Caputque tuum ſuis furiis devovit: ut cui libêret, attribueret: viciſſim jam idem Dominus, Deusque tuus in tua manu, ac poteſtate tua ſitum eſſe voluit: non ſolum ut hunc Papam, hominem nequam, ſed ipſum etiam Papatum, regnumque ejus, ſimul cum impia ſede, æterno divinoque excindas anathemate: ut ne ullæ quidem ſuperſint amplius ejus impietatis reliquiæ, & Romæ Roma quæratur. Quod Dei opt. max. decretum, hoc eſſe tempore definitũ, quaque ratione implendum, exiguum iſtud

munuſculum declarat. Quod etſi Majeſtati tuæ multum videri debet: ſupereſt inſuper alter hoſtis, ſummum Papæ firmamentum, ſed jam a Domino quaſſatum, & ad ſuam ruinam impulſum: de quo magnificam tibi parat ultionem: cuius rationem libellus iſte explicat; qua ei arma e manibus cadere neceſſe ſit: ut pro affectata, ſperataque Europæ Monarchia, ad tuas eum adigas pacis cõditiones.

Quamobrem Sereniſſima Regina, ut eodem, unde cœpit, revertatur oratio, minime dubito quin iſtud apophoreton, quod tuæ Majeſtati a Domino, Deoque tuo offero, longe ſit ei futurum gratiſſimum. Nũc quod poſſum, hoc ſupplico, ut ſicut apophoreta ſua, tua tibi Nobilitas tanto obtulit ſtudio; ut viciſſim tua Domino, Deoque tuo ſervatori & vindici, ſed longe ei gratiora futura offeras: ut cum is verbo, Spirituque ſuo repromittat, ſe daturum Regibus & Principibus, quos a Meretricis purpuratæ ſervitute retraxerit; habere cor unum, & unam voluntatem illius perſequendæ: tuam illi in eam rem voveas auctoritatem: & ejus, quod inſtituit, operi manum fortiter & conſtanter admoveas: ut eosdem pios Principes ad fœderis unius ſocietatem adducas. Quo effecto, quem repromiſit Dominus, eventus ſtatim conſequetur: ut

bello

bello istam Meretricem persequantur, igne crement, donec consumatur. Cujus confœderationis terrore, Hispano Regi e manibus arma labentur: vt quam Europa tota per hosce viginti quinque annos pacem cõturbavit, & tot effuso Sanctorum sanguine, exitiali bello commutavit: quod indesinẽter per suas furias Papales instigat: eandem pacem cupidissime expetat.

Cujus præclarissimi voti Domino Deoque nostro supplico, Christoque salvatori, ut Majestatem tuam quam primũ compotẽ faciat, eamque Ecclesiæ, Regnisque suis quam diutissime servet incolumẽ. Londini, Calendis Ianuariis: anno Salutis per Christum Dominum partæ 1589.

Tuæ Majestatis

obsequentissimus,

IOANNES MORELIVS.

AD LECTOREM PRÆFATIO.

QVI argumentum aliquod persuadere contendunt, eo elaborare solent, ut illud honestũ, utile, jucundũ, effectu facile, atq; adeo, quantũ possunt dicẽdo cõsequi, necessariũ esse demõstrent. Mihi vero pios Reges & Principes vere Christianos ad unius fœderis contra Antichristianum regnũ adhortanti, supervacaneus iste labor esse videtur. Si enim ostendero Dominum Deumq; nostrum, tanto ante tempore Ioannis Apostoli, Euangelistæ, atq; Prophetæ operâ, per Spiritum Sanctum, verbumq; suum eam rationem præfiniisse, Ecclesiæ suæ ab Antichristi tyrannide liberãdæ, & istius Antichristiani regni excindẽdi: apud illos pro sua pietate, ea omnia præstitero, in quibus persuadẽdis homines dicendi periti, solẽt plurimũ operæ collocare. Sic enim Prophetæ: Dominus locutus

est:

est: fileat omnis caro. *Item*: Loquere Domine: Audit servus tuus. *Item, ista fœderis diuini cõceptio est*: Loquatur tibi Dominus: Nos autem faciemus quæcumque præceperit tibi, & annunciaris nobis.

Atqui diuinum oraculum ita perspicuum, verbisq; tam apertis, & significãtibus expressũ, ut dubitationi nullus relinquatur locus. Eius autem ista verba sunt: Decẽ cornua Belluæ, quæ vidisti, Reges sunt decem, qui nõdum regnare cœperunt. Incipient autem regnare tamquã Reges, sicut & Bellua. *Est autẽ Scripturæ familiare, per cornu, vim, robur, & potestatem significare, de qua superbiunt homines, & in alios contumelioſi sũt, taurorũ more. Vnde illud:* Nolite exaltare cornu. *Itaq; subjungit Spiritus S.* Iis idem consiliũ est, ut suam cõmodent potestatem atq; auctoritatẽ Belluæ. *Quamvis enim Bellua ista Romana triplici insignis corona, ut Regem se Regum glorietur, & cum Satana Christum Dominum tentante, affirmet, sua esse Regna mũ-*

di, & ea quibus placet, donare, ægre tamẽ, nec niſi frequentibus fulminationũ ſuarũ anathematis potuit obtinere: & ſerpentis Æſopi imitatione, ſenſim in eorũ ſubiit poteſtatẽ, atq; precario: ut inductus in illam, ſuã iam faceret; ut & eos poſtea, ex ſua ſede deturbarit, atq; ad ſua juſſa mandataque adegerit: tantũq; valuit minis & terrore ſui fulminis: ut vel invitos cũ Chriſto Domino, ejusq; regno cõmiſerit: Idẽ, *inquit*, pugnabunt cum Agno. Agnus autẽ vincet eos. *Quæ verba victoriam Chriſti Domini per verbum, Spiritumq; ſuũ, demonſtrãt potiſſimum: ſed quæ victoria ipſis cedit ad ſalutem: Antichriſto vero ad majus exitium.* Agnus, *ait*, vincet eos. *Nam altero poſt verſu docemur Reges & Principes Chriſtianos, vi Spiritus Sancti verbiq; converſos in meliorem mentẽ, & indignitate rei, culpæq; ſuæ perculſos furorẽ priſtinũ in ipsũ, ab Eccleſiæ perſecutione, converſuros Antichriſtũ. In quo quid eſt quod diutius immorer; cũ res ipſa indicet, eos qui miſerrime illius ſervierãt impietati, atq; immanitati, n[illegible] veritate Eu-*

an-

ãgelii gratiæ Dei cognita, tanto acerbiores atq; infestiores huic esse Antichristo? Sic enim subjungit Spiritus Sanctus: Decem cornua, quę vidisti in Bellua, sũt ii qui odio persequẽtur Meretricẽ, qui desolatam reddent eam, atq; spoliatam: qui carnem eius vorabũt, & igne cremabunt. *Ac ne forte quisquã putet, istud tantũ odium ab humana esse indignatione excitatum, aut hanc ultionem expetendã hominum consiliis, atq; prudentia: caussa tantæ exacerbationis odiiq; tãti, declaratur unde sit.* Nã Deus, *inquit*, inspirabit in eorũ corda, ut faciãt quod ipsi placet. *Atq; etiã ratio divinæ ultionis judiciiq; prædicitur:* V naq; sint inter ipsos volũtate, donec verba Dei impleãtur.

Cũ igitur de verbo mandatoq; Dei constet, ut pii Reges ac Principes, quos ipse ab Antichristi exitio atq; seruitute eripuit, una sint inter se voluntate, & singulis in eã rẽ, hãc voluntatẽ jãdudũ inspirarit, quid obstet quo minus una cõfœderationis societate, quasi manibus jũctis, & velut phalãge facta in Antichristum insurgant, ut fa-

ciant quod Domino Deoq; ſuo Seruatori, Chriſtoq; Domino placitum eſt: ut ſicut cõmunibus odiis, ſic armis cõmunibus Meretricẽ iſtã purpuratam perſequantur. Nihil eſtigitur quod Principes pios, ſatis ipſos pro ſua pietate cupidos exercendæ ultionis Domini, Eccleſiaq; liberãdæ e dira ſeruitute, in qua miſerrime tabeſcit, pluribus verbis exhorter. Quid enim honeſtius, quam Domino Deoq; ſuo parere? quid ipſis glorioſius coram Deo Eccleſiaq; eius quã Chriſto Domino adverſus deſtinatum & capitalem ſuum perduellẽ depugnãti, velut auxiliatricem præbere manum, & in pulcherrimæ victoriæ laudem, triumphiq; glorioſiſſimi decus ſocietatẽq; venire? Quid jucundius, quã in Chriſti Domini injuriis ſuas ulciſci: & ita perſequi, vt nullæ relinquãtur eius tyrãnidis reliquiæ? Quid cum ipſis, tũ Eccleſiæ Dei utilius, quam immanẽ & omni furore inſanientem Papam, qui tot jam per annos, vel ſecula potius, quo ſuum regnũ, deiecto Chriſti Domini ſceptro verboq; ei, ſtabiliat: nõ deſinit Europã totã, funeſtiſſimis bellis, ſanguineq; miſcere: & qui nũc ut

ipſos

ipſos evertat: nihilnō molitur: & omnē (ut ajūt) mouet lapidem? quid, inquā, tū glorioſius, tum utilius, quā auſpice Spiritu S. Imperatore Chriſto Domino, diſperdere, & totum impiū regnum funditus evertere?

Sed & Spiritus Sāctus, uberiora multo promittit huius Sacroſāctæ cōfœderationis præmia: nimirū ut cū piis Regibus & Principibus cor unum, unamq; voluntatē dederit: exequātur quod ipſi placet: Quid autē magis placet Domino: quam ut ſeruatā ab Antichriſto Eccleſiam, regnumq; ſuum: beato condant ordine, tantaque felicitate, quantam per Eſaiam, Hezechielem, & hāc Ioannis Euangeliſtæ prophetiam futuram repromittit? Huius igitur profligandi Antichriſti hic finis eſt, huius Sacroſanctæ cōfœderationis, quā Dominꝰ inter pios Reges conciliatam vult, hoc cōſilium: ut eos quaſi in ſpecula collocet Eccleſiæ: ut ne quā Sathā irrepat, qui doctrinæ ſimplicitatem corrūpat, ut adverſus impuritatē morū, Eccleſiam bono cōponant contineantq; ordine: ut ſalvū & efficax ſit Euangelii miniſteriū, & apud Eccleſiam honorificum: breviter,

ut adversus omnes externos motº, tuta sit Ecclesia Dei. Eiusmodi vero instituant sui ordinis consilium; ciues auctoritate, domestica inter ipsos pax sanciatur; & siquid suborietur uspiam dissidii, ipsorum interventu ab ipso ortu cõprimatur: ut, inquã, huius ipsorum consilii maiestate, nihil moliri possint hostes Ecclesiæ; quod non ipsi extinguant, priusquam foras efferri, & tempore exardescere possit.

Quod certe pro iis opibus quas illis Dominus Deusq; noster velut in manus tradidit, si paulum modo adniti velint: facile factu est, & ad omnia subita rerum, copias descriptas, paratasq; cõmodis regionibus habere equitum ad XV. *millia: legionũ vero firmissimarum ad* XL. *millia, instructas omni bellico apparatu: quibus etiã nervus belli, quæ pecunia dicitur, defutura nõ sit a Domino: sicuti pluribus a nobis deinceps dicetur. Hoc igitur piorum Regum & Principum consiliũ: is Senatus vere fuerit, quẽ imaginabatur Cyneas, Pyrrhi legatº, qualẽq; visum esse sibi dicebat Romanum Senatum. Hic, inquã, Senatus is fuerit, quem*

ætate

ætate mundi prima fuisse ex heroib. & Diis similimis hominib. describit Plato: qui erit bonis Ecclesiæ rebus, firmum præsidiū: ne quid turbetur: afflictis, humano generi tutissimum perfugiū: ad quem, inquā, Senatum, vota Ecclesiarum perferētur, & de cuius sententia, omnia in Ecclesiis prō agitata ex verbo Dei decidentur atq; cōponentur. In quo ea una nascetur inter Reges & Principes æmulatio: quis sapientia, cōsiliisq; suis plurimum ad Christi Domini Regnum cōferet utilitatis: quis copias suas præstabit, robore disciplinaq; instructissimas: quis Ecclesias suæ fidei a Domino cōmissas optimo more & institutis Apostolicis, de cōmuni sententia cōstitutas, purissimas cōseruabit. Hæc igitur illa Domini Deiq; nostri voluntas est, hoc placitū, quod a piis Regibus atq; Principibus effici vult hac voluntatum unitate: ut illis videndum superſit unum: qua is Senatus maxime ratione, & quib. legibus cōstituendus sit, ad cōmunem facultatē atq; inter eos concordiā adstringendā: ne, quod suo malo sensit quondā Germania arte Papali: dum publicæ cōsultum volunt

concordiæ, ipsi inter se committantur. Sed istam curam atque solicitudinem ipsorum relinquo sapientiæ.

Ad institutum sermonem revertar: dicamq; hanc Sacrosanctam inter pios Reges & Principes confœderationem ipsis effectu perfacilem. Promittit .n. Dominus se illis daturum cor unum & voluntatem unam, faciendi quod ipsi placitum est. Itaq; obsecundent modo Spiritui S. nec a se repellant extinguant ve: prona sunt ad Antichristi exitium omnia, & ad beatissimam Ecclesiæ reparationem. Sunt ipsis quidē a Domino Deoq; nostro opes amplissimæ: sed si Dei voluntati obsequentur, magnis eas auxerit incrementis. Dominus .n. hac eadem revelatione promittit se ministerii vocationem extraordinariā cælitus suscitaturum, ut prædicetur omni linguæ, genti, populo, & suis tandē malis eruditos homines concessuros in tēplum suū, quod populis apertū iri promittitur. Sed certe hujus Sacrosāctæ cōfœderationis fiduciá, boni, & quib⁹ Spiritus S. revelāte, aperti oculi fuerint, animū resumēt, & capita sua attollēt: illius vero terra-

terrore, mali cum sua Papistica inquisitione, in rerum suarum desperationem inducti, omnem suum furorem remittent, & vt iniquæ sortis aselli, aures demittẽt. Quo fiet vt nihil mouere possint; quin vicini Reges certiores fiant oportune, & suis copiis, quas ad manũ, paratasque habebunt; etiam domi in ipso conatu opprimere & disiicere possint.

Denique, sic illos in animum suum inducere oportet: quemadmodum ab orbe condito Christus Dominus hostem magis destinatum præcipuumque habuit neminem, quam Antichristum: non Pharaonem; non Nabuchodnozor, non Sennacherib, non Antiochum. Quid enim magis hostile Christo, quam qui Antichristus est? Sed & illi singulares homines fuerunt; hoc nomen & ista Bellua sedis est, & continuatæ per improbissimum quemque seriei nuncupatio: sed cuius quæso impietatis? Eius quæ hominum perditione gaudet: quæ doctrinam Euangelii corrupit in hominum perniciem suis veneficiis: quæ idolum illud vastans & perdens induxit in Ecclesiam. Quamobrem ita pios Reges & Principes habere oportet: Dominũ Deum nostrum, Chri-

stumque Seruatorem, brachium diuinæ suæ potentiæ exerturum ad horribilis eius Belluæ mactationem, & ad supplicia tanto grauius expetenda, quanto superbius consurrexerit in Christum, & insolentius in illius thronum inuaserit.

Itaque hoc vnum ab illis in tot in suo sanguine beneficiorum acceptorum, tantorumque meritorum, quibus ipsos decorauit, recognitionem, postulat, vt sui se iudicii velut δορυφόρους *præbeant, non quidem otiosos, sed quô aliquas illis partes relinquat in agendo, & ad vltionem attenti suorum promissorum fidem expectẽt, & adiuuẽt. Nam quod Principibus Israel populoque Dei per Mosen dixit Dominus, quód aduersus Sennacherib, quod contra Idumæos & Madianitas promisit; id ipsi fide eadem præstolentur, ac studio precibusque prosequantur. Sic autem ait:* Nolite timere: fortes estote: & videte salutem Domini, quam faciet hodie. Nam Ægyptios quos vidistis hodie, nunquam videbitis. Dominus pugnabit pro vobis: vos autem quiescetis. *Nec tamen eam a piis Regibus & Principibus operam*

ram exigit: quod in hac Bellua immolãda eorum opera egeat, qui est omnipotens: sed sicut Hierichuntis mœnia, suâ vnius potentiâ Dominus prostrauit; sed nõ aliter quam ad clamorem populi armis succincti suis: ita Principem locum assumit sibi Christus Dominus in perduellis sui excidio: sed ad quod vult Principum piorumque voces precesque & arma accedere: & ne longinquius exemplum sumam; sicut superbam istam Hispani Regis classem, id est, robur Antichristi disiecit, afflixit, impegit, & in profundũ maris submersit spectantibus, nec tamen otiosis Anglis, sed fortiter pugnantibus; ita ipsi comparent se alacri fide, & animo forti ad hanc Sacrosanctam confœderationem: cuius opera placet Domino impuram istam Meretricem Romanam bello persequi, igne cremare, atque vstulare; donec consumatur, & cum tota sede, suoque collegio ac imagine sua in nihilum redigatur.

Quo magis decet Serenissimam Reginam, quo plura accepit a Domino benignitatis ornamenta, & hanc nuper victoriarum suarum de Antichristo tesseram; auctorita-

tem ſui nominis ad cæteros Reges, qua plurimum valet, afferre, & vltro inſtare, vt ad opus Domini quam primum ſe accingant: nec efficere cunctatione ſua; vt traditam ſibi a Deo victoriam euertat: ſed eius eſt pietatis inſtare debellata a Chriſto Domino hoſtium ſuperbia, vt iam quo ſe vertãt neſciãt. Quid autem illam remorari poſſit flagrantibus ſua ſponte piorum Regum & Principum animis in Antichriſti eiuſque Regni exitium, & incumbentibus in ſuarum iniuriarum vltionẽ, atque excitatis tantorum bonorum, quæ a Domino Eccleſiæ proponuntur, expectatione? An vlla fuerit ab Sereniſſimo fortiſſimoque Nauarræ Rege *remoratio, qui ſe ſolus inuicto depromptoque animo, ceu molem, furenti Antichriſto, & totius eius Regni torrentibus oppoſuit, & quartum iam annum ab Eccleſia fortiſſime propulſat? qui ſicut infracta fide Spiritui ſancto excidium Regni Antichriſtiani molienti, placidum ſe permiſit: ita euentum promiſſionum eius pacato animo expectat, & a tot iam annis Principes ad hoc Sacroſanctum fœdus inuitat, & ad auxilium inclamat? Cui ſi iius ſucceſſionis in*

Gal-

Galliarum Regnum ſuo tempore obtinendũ, cum volet Dominus, confirmatum fuerit, & regnum ſuum Nauarræ hac rerum oportunitate extorſerit ab Antichriſto Hiſpanoque Rege, quantum quæſo virium Eccleſiæ Dei & ſacræ Principum confœderationi acceſſerit, & Antichriſto deceſſerit?

Quod ad Sereniſſimum Scotiæ Regem *attinet, vllane poterit ab illo interponi mora, addito ad pietatis eius ſtudiũ, & animi magnitudinem, auctoritatis tuæ pondere, quam materna colit reuerentia? Sed & tanta ingenii, animique ſui ornamenta vbi magis proferre poſſit; quam in tot Regum & Principũ Sacroſancto Senatu? & vbi pulchrior, & latior campus offerri poſſit, vbi virtus & animi magnitudo expatietur; quam in his quas Dominus proponit victoriis, & ſub eo piorum Principum imperio quod Dominus promouet?*

Qua eadem & fiducia Sereniſſima Regina eſſe debet, de Sereniſſimo Daniæ Rege, *vel quod eam Matris loco reueretur, vel quod ſpirant adhuc optimi Principis patris eius in filii corde, & Sereniſſimæ matris con-*

silia: quibus hoc ipsum quod vrgeo opus Domini, Deo propitio effecisset: si ei visum esset aliquot menses eius vitæ producere, nec ei reditum in cælum peccata nostra maturassent. Quo enim spectabat conuentus ille a Germanis Principibus impetratus Hamburgi?

Idem polliceri possumus de Serenissimi Sueciæ, Gottiæque Regis *pietate: vel quod eius plurimum interest ob domesticos vicinosque motus, vel externos a Moscouitis: quorum irruptioni cum sit opportunus: & affirmet Dominus eas barbaras gentes, ceu cicadas, per terras effusum iri: & iam solitudinibus, Boryssthenesque fluminib. ægre teneãtur: cui dubium quin ei Regi sit optatissimum immanissimam fœdissimamque gentem, vel terrore oblato tantæ potentiæ, quantam comparat Dominus e piis Regibus & Principibus, comprimere: vel oppositis tantis exercitibus late profligare: prolatis etiam in Orientem Christianæ, cum volet Dominus, fidei finibus?*

Nam quid de illustrissimis potẽtissimisq; Germaniæ Principibus *dicã: qui cũ & ipsi intus a Papisticis & ipsis potentibus Prin-*

cipi-

cipibus obſideantur, & a cæteris exteris Regibus inſtigentur, & a Papa per furoris ſui flabella Ieſuitas: foris autem a Turcis, Moſcouitis, Procopitiſque Tartaris obſideantur: qui ſuum commodum expectent: præſertim in tanta Imperii ſeneſcentis, vel potius tabeſcentis debilitate, optabilius poſſit obtingere, quam vt communibus tot piorum Regum opibus, copiiſque tantum diſcrimen a ſe propellant? Quorum votis optatiſſimis, ſi Sereniſſima Regina auctoritatem ſuam adiunxerit, mihi minime dubium videtur, quin tantum bonum velut cælitus oblatum, demiſſumque expaſſis palmis excipiant.

Et profecto vnũ iſtud triſte de Cœna Domini diſſidium, tantam hactenus Eccleſiæ liberationem & felicitatem inuidit, & a nobis remouit: ſed cum illuſtriſſimus Saxoniæ Dux, & Imperii Elector ſtatuerit, iſtam cõtrouerſiã potius inter doctos priuatis odiis, & criminationibus verſari & agitari, quam eſſe ab rei natura inter Eccleſias profectam, optimam certe ſapientiſſimamque rationem ſecutus eſt: vt peregrinis & inauditis, de Cœna Domini dogmatis excluſis, apud Eccleſias

ca sententia reciperetur: quæ extat verbo Dei aperta, & est αὐτολογικῶς expressa tota Scriptura: scilicet, Sacramentum Cœnæ, Sacramentum esse veræ communionis nostræ in corpore & sanguine Domini, ad remissionem peccatorum nostrorum, vitæque æternæ participationem. *Quo, inquam, in Sacramẽto is explicat omnes suas cum humanæ, tum diuinæ naturæ opes, & facit in se maioribus augmentis crescere. Hãc fidem, cum omnes per orbem Christianum teneant Ecclesiæ: cum vna hæc doctrina per Ecclesias fide credatur, prædicationeque verbi resonet: sapiẽtissimus Princeps singulari Ecclesiæ bono & communis concordiæ, hanc iam inde ab Apostolis ad annum octingesimũ celebratam creditamque doctrinam, vnã suis in Ecclesiis ditionibusque prædicari iussit. Qua de re hoc loco plurib. supersedebo; quod sub huiusce tractatus finem, rationem tradidi, qua magna Ecclesiæ ædificatione hoc triste dissidium etiam inter ipsos doctores, sopiri componique possit.*

Cum autem Princeps illustrissimus pie sapiẽterque iudicarit: hoc Christi Domini cor-

pus

pus mystícum, quod est Ecclesia, quod & ab Antichristo in Regina Serenissima, fortissimoque Nauarræ Rege impetitur: nõne simul iudicat eam Antichristi violentiam, totius huius diuini corporis membris esse propulsandam? vt cum omnium Principum & Ecclesiarum, vna fides, & vnus sit Spiritus, cõmuni omnium membrorum contentione, cõmune periculum esse repellendum?

Quin & clarissimorum Saxoniæ Principum Vinariæ Ducum *eadem sit sententia, cui possit esse dubium? Nam cum in domo paterna vnà pene cum illis & nata, & alta, educataque sit Ecclesia: num illis esse debet Ecclesiæ salus charissima? Propter quam quidquid istud est ab illis acceptum incommodi, si bono pacis id Domino sponte sua largiẽtur: qui solus sua prouidentia regna transfert, & vt expedire suis nouit, ea donat; suæ plurimum tranquillitati atque felicitati consuluerint. Dominus enim Deus noster cum summe bonus, iustus, & misericors sit: vel potius summa & essentialis bonitas, iustitia, & erga filios in Christo Domino suos ipsa misericordia: decet eos non æquo solum animo ac forti,*

quæ ab eo accidunt incommoda ferre: sed etiã grato gratias agere, expectatione tantæ gloriæ, quæ nos propediem manet. Sed nec promissa Dei vnquam frustranea sunt: nisi quod fit rebellione nostra: vt in longinquum sæpe tempus differantur. Quin & in animum suũ sic inducere debent, non esse vnicum Domino temporalium bonorum benedictionis genus. Verum vt instituti sermonis fine nostra se teneat oratio, sperare licet huius sacræ confœderationis operá, & hac rerum, quas Dominus molitur conuersione, de omnium Regum ac Principum bonorumque sententia, pulcherrimam præbitum iri facultatẽ, huius iacturæ grandi fœnore compensandæ.

Clarissimi vero Principis Anhaldini sapientia & virtus nihil nos de ipsius summa pietate sentire patitur, quam quod cum ad Dei gloriam, & Ecclesiæ salutem, tum ad Germaniæ decus & securitatem pertinet: qui vnus cæteris Principibus exemplo potest esse: vna cura atque solicitudine, totam Ecclesiam complectendi: ne, dum vnam corporis partẽ curant, & ei consultum volunt, & reliquas negligunt, totam perditum eant, quæ non po-

test

test nisi in vniuersitate atque vnitate seruari. Nam quantopere semper is Princeps studiosus pacis Ecclesiæ fuerit, res ipsa testatur: vt ei si creditum fuisset, iamdudum in hanc confœderationis societatem Principes coiuissent: & confusis hostibus, floreret per Europam Ecclesia.

Nec plus erit operæ in adducendis in eam sententiam Illustrissimis Principibus Marchionibus Brandeburgensibus, *Ducibusve* Brunsuicensibus, Luneburgensi, Megelburgensi; *quibus addo & clarissimum reuerendissimumque Principem* Ioachimum Fridericum Marchionem *Brandeburgensem, Magdeburgensem Archiepiscopum, Germaniæ Primatem: quibus quam iucunda futura sit ista confœderatio, fidem facit eorum in Deum patriamque pietas, pro qua tot aduersus Turcas maiores eorum pericula subierunt: quam huius confœderationis beneficio non modo saluam ab omni domestico molimine, & externo Turcarum externarũque & barbararũ Gentium impetu fore vident, sed etiam ipsis Turcis metuendam.*

Nam quod ad Illustrissimum Principem Ducem Luneburgensem; *si quemadmodum summopere cupiebamus omnes, & ipse optabat, hanc operam Deo Ecclesiæque nauare potuisset, & auxiliaribus Germanorum & Heluetiorum copiis præfuisset; hodie beati viueremus. Eius enim auctoritas & suos cõtinuisset, & nostris maiorem fiduciam fecisset; cuius vtriusque rei suspicione in ista mala deuentum est, & pulcherrima expeditio pene frustra tentata.*

Sed ad Rhenum propius accedo: quis enim finis tota Germania Pomeraniave *per Principes singulos discurrẽti? Ecquis autem fuerit suscipiendus labor in ista confœderatione probanda Illustrissimis* Principibus Hassiæ Lantgraviis, *Comitibus Casselnbogen,* VVilielmo, Georgio, *cæterisque fratribus? quorum parens optimus: simul & fortissimus Princeps pro Ecclesiæ Dei salute, sed immaturis adhuc rebus, nec dum ad suã periodum deuolutis, cum datum adhuc esset Bellua Romanæ vincere sanctos; sæpius tamen vitæ statusque sui amittendi periculum adire non recusauit: & pene solus e Germa-*

niæ

niæ Principibus, laborantibus noſtris Eccleſiis rebus pene perditis, eas equite, milite, pecuniaque ſua, vel aliũde mutuo ſumta, adiuuit, & oportuniſſimum auxilium tulit. Inprimis autem Illuſtriſſimi Principis VVilielmi *ſtudium Eccleſiæ iuuandæ, operaque in ſolicitandis Principibus nunquam defuit.*

Quid de Illuſtriſſimis ſummoque ſplendore florentiſſimis Principibus dicam Palatinis Comitibus: *altero Electore, altero Electoratus adminiſtratore* Caſimiro Bauariæ Ducibus: *quorum ille auitæ memor & æmulus magnanimitatis, nihil inuidiã veritus, ab eo acceptam traditamque veram de Cœna Domini ſententiam amplexatus, atque profeſſus eſt, eam iudicans eſſe veriſſimã, quæ cum Scripturæ analogia, & perpetua Patrum iam inde ab Apoſtolis continuata omnium Eccleſiæ ætatum ſerie congrueret. Itaque hac illius principis acceſſione, quanta ſit & Principum, & Eccleſiarum in hãc partem inclinatio facta, videmus; Deoque optimo maximo ſupplices, & adorabundi gratias agimus: eidem Principi ſumma bonaque omnia ominantes atque ſupplicantes.*

Nam quod ad alterum, eum semper esse sibi natum Domino Deoque suo gratias aget Ecclesia: & ei prospera faustaque omnia pro eius amplitudine supplicabit; qui optimi Patris mandato in hanc Antichristiani regni dimicationẽ inductus, nullum vitæ, capitis, fortunarumq; suarũ periculum pro eius salute recusauit: sed & Ecclesiæ Dei grata animi memoria, agnoscũt se, quicquid gratiæ, auxiliique aliunde nactæ sunt, eius potissimum commendatione atque auctoritate esse consecutas: & eius præsertim operâ hanc sanctam cõfœderationem sperant atq; confidunt de omniũ Germaniæ Principum sententia, primo quoque die instituendam.

Ad quam si Illustrissimorum VVirtembergensium Ducum, Comitumque Montbelgardensium *auctoritas accesserit, quantam materiam præbuerit nobis Dominus prædicãdæ suæ benignitatis? Nec enim dubitemus impletũ iri a Domino, quod ad eã promittit; & certe impleri necesse est: vt det vniuersis habere cor vnũ, vnamq; volũtatẽ faciendi quod ipsi placitũ est. Quod certe effectũ fuerit, si in vnitatis fidei symbolũ, cum*

Chri-

Christo Domino, & inter nos consenserimus: quod est sacra Dominicæna. In qua cõciliãda tametsi perfacilem, & perspicuam rationẽ hoc tractatu protuli; hoc tamen in præsentia dixero, quod cum ista discrepantia, nõ sit Ecclesiarum, quæ omnes vna fidei confessione agnoscunt Cœnam Domini esse Sacramẽtum, suæ in eius corpore vnitatis per veram carnis & sanguinis ipsius participationẽ; ad diuinæ eius naturæ communionẽ: cuius nos ipse in hoc maxime Sacramento, magis ac magis facit participes; vt ceu eius membra Spiritus sancti augmẽtis crescamus ad mutuam charitatem. Hæc omniũ orbe toto Christiano Ecclesiarum fides; hæc Sacrosancta veritas, pro qua tot aduersus Antichristum decertãt Ecclesiæ: in qua discrepantia nulla: sed istud dissidium cum a doctis suscitatum, & ab iisdem instigatum, tantum inualuerit; accidisse perincommode video quod hæc apud eos Principes, inter illos ipsos controuersia sit agitata, per quos potissimũ exarserat: sed certe res est diiuditatu perfacilis. Nam remoueãtur modo ab Ecclesia διδασκαλίαι, de quibus ea nihil vllo vmquam tempore subodorata est, &

quæ fidei fundamenta conuellunt; necesse est elucere veritatem, & contrariam omnẽ sententiam euerti, summa ipsarum Ecclesiarũ concordia. Quod quantopere salutis communis causa interſit, & sit ad hanc confœderationem de omnium Principum sententia, efficiendam accommodatum, iidem Illustrissimi Principes satis intelligũt: sed & suæ securitatis causa: quam vident, & sæpius experti sunt vicinos Principes potentissimos, oculos ambitionis suæ in Sueuiam, ipsorumque ditionem semel adiectos, nusquam dimouisse: vt huius confœderationis opera salui sint, nec iam habeant quod inde vercantur.

Nam quid de Illustrissimis Principibus Bipontinis Ducibus, *Principibusque dicam*, Bavariæ Ducibus; *quos certe necesse est, paternæ virtutis & pietatis hæredes atq; æmulos, in hanc cõfœderationis Sacrosanctæ conspirationem atque institutionem totis viribus incumbere? Eum enim Principem memini, adhuc adolescentem, Augustæ in Comitiis, anno 1548, regnante passis (ut aiunt) fortunæ velis Carolo Imperatore V, & reliquis Principibus, si minus ad Cæsaris præsentis,*

sentis, & mandantis voluntatem accedentibus, at certe annuentibus: solum in conuentu Augustano toto corpore ab omni idololatrica Missæ celebratione abhorrere. Qua inuicta fidei constantia ad extremum vsque Spiritũ pro Ecclesia, Deique gloria laborãs, & in Gallia militans perseuerauit. Cuius virtutis, officiorumq; pietatis fructum, in eadem pietate & constantia, perseuerãtium filiorum est, vberrimum de Dei, deque Principum omniũ, atque Ecclesiarum iudicio fructum huius cõfœderationis beneficio expectare.

De Heluetiorũ Pagis *singulari pietate, sapientia, pariq; fortitudine a Domino Deoq; nostro præditis*: Tigurino, Bernate, *cæterisque; nec non de* Rheticis, *quid aliud dicã, nisi quod res ipsa testatur? Qui cum potentissimorũ Regum iam inde ab Euãgelii restitutione, confœderationem semper, etiam suis magnis commodis recusarint: iidem tamen Principum vere Christianorum, Ecclesiarũque amicitiam, ab ipso renascẽtis Ecclesiæ ortu cupidissime expetiuerunt: &, vt de cæteris mittam dicere: cũ Illustrissimo Principe Philippo Hassiæ Lantgrauio, & aliquot Imperii*

ciuitatibus periculosissimis temporibus non dubitarunt religionis causa aduersus omnes minas fœdus inire: quantopere vero contenderunt, vt in commune Augustanum fœdus admitterentur? Sed nec rebus Gallicis oblata occasione vnquam defuerũt. Et ne vetera eorum beneficia commemorem: quãtam, quãq; lectam iuuentutem anno superiore emiserũt Gallicis Ecclesiis laborantibus, vix animis magis quam armis egregie instructam? Itaq; talibus viris hanc Sacrosanctam cõfœderationem persuadere quis labor fuerit, quã ipsi a Deo opt. max. omnibus votis expetunt: præsertim cũ futura sit ea armis, equis, pecunia, omnique bellico apparatu: in primis autẽ Ducibus munita, vt talibus viris sua tantũ virtus præstanda sit?

Sed me ipsum reuoco per amplissimos Germaniæ, Heluetiæque fines, Principumq; aulas longius discurrentem magno meo quidem erga tales Principes studio, sed certe labore non irrito: a quo meo instituto vt aliquando pedẽ referat oratio, sic Serenissimam Reginam sperare oportet, atque de promissis Domini Deique sui confidere: si semel hanc eius voluntatem

tem amplexa fuerit: adducendorum piorum Regum, & principum in vnius fœderis, societatisque vinculum: aspirante Domino, & intus in eorum animis agẽte per Spiritum sanctum, obuia, pronaque illi fore omnia ad pulcherrimam victoriæ suæ, quam ei Dominus comparauit, & solus effecit, persecutionem, & suam iniuriarum vltionem magnificentissimam, & propinquum Antichristiani Regni exitium. Cui qui Christo Domino, Ecclesiæque eius bona & felicia volũt omnia, dicant: Veh.

DE ECCLESIA DEI AB ANTICHRISTO PER EIVS EXcidium liberanda: eaque ex Dei promissis beatissime reparanda.

ECclesiam suam Dominus Deus noster pene perpetuæ cruci, afflictionibusque subiectam, ad hæc vsque, quæ iam aduenerunt, tempora, non ipsius magis salutis causa, quam suæ gloriæ voluit interesse. Et in hac quidem tanta naturæ nostræ vanitate atque corruptione, quidni hac disciplinæ domesticæ virga corrigamur, ne cum hoc mũdo pereamus? Ipse vero Christus Dominus cum sedeat Rex in æternum in domo Dauidis patris sui, & eius proprium sit dominari in medio inimicorum suorum, & iidem sempiterno & exitiali odio, belloque Ecclesiam, regnumque illius persequantur; illius gloriæ plurimũ interest, contumaces hostes scabello pedum suorum subiicere. Sed & quanta hominis renati gloria est, quod cum ipsi per peccatũ prostrato

ſtrato inſultet Sathã, nihilomin⁹ virtute Chriſti recreatus exurgit, & victorem ſub pedibus ſuis conculcat Sathanam?

Veruntamẽ Dominus Deus noſter noſtræ conſcius infirmitatis, hanc Eccleſiæ crucem ita temperat, vt virium reparandarũ cauſa quędam velut halcyonia, induciaſque laboranti largiatur; & prophetas ſubinde ſuſcitarit, qui per verbum Spiritumque ſuum fidem, ne labaſceret, corroborarent, & rebus velut perditis ſpem erigerent. Quod a Domino Deoque ſuo auxilium Eccleſia ſi ſerius aduenire putat, quam vellet, tũ quaſi ab rege Dominoque ſuo deſerta, magno cum dolore in cælum ſuſpiciẽs queritur: iam non eſt propheta: iam ſolita tui ſubſidii ſigna nulla videmus: neque quiſquam eſt, qui ſciat quo vſque tandem? Sed cum ea certamina, quæ ſub nefario immanique Antichriſti Romani dominatu, Eccleſiæ erant exantlanda, ſummum eam in diſcrimẽ eſſent adductura; eo maiora Chriſtus, idem rex & redẽtor noſter, parauit ei adminicula, quibus velut ſenectutis eius infirmitatem ſuſtentaret: vt ſi hanc extremam ætatem cum vlla præteritarũ libeat comparare; nulli, cum ab Apoſtolica diſceſſerimus; neque ſapientia, neque fide, neque glorioſa martyrii confeſſione cedere videatur. Sed & quouſque tot pro ſua gloria certamina decertanda forent, & tanti labores ſub Antichriſti tyrannide perferendi, continuata

illius per secula serie, ad illius excidium, per Ioãnem fidelem seruum suum atque Apostolum ita percucurrit; vt si paulo attentius animaduerterimus, non tam prophetiam legere, quam historiã in tabella depictam intueri videamur.

Sic igitur affectos esse nos oportet, hunc tantum thesaurum non esse quasi Palladium aliquod, apud Ecclesiam, quasi fatale donum depositum, cui asseruãdo, vt formicæ auro Indico inuigilemus, aut vt canes ad præsepe rem custodiamus, nobis inutilẽ, ne cui ad eam pateat accessus. Sed vt tantis in malis confirmemur diuinis & incomprehensis Dei promissionibus: & vt sub finem temporum, quæ iam impendent, memor Ecclesia iudiciorum Dei præteritorum, ob corruptam fidei disciplinæque puritatem, vnde tot hæreses, & iste nobis ortus est Antichristus, suis malis edocta sibi consulat in posterum: propositis suauissimis consolationibus, & liberatione beatissima, si Dei monitis præceptisque salutarib. paruerit.

Et fateor ego quidem id genus prophetiæ hodie vel perrarũ esse, vel potius Ecclesiæ denegatum, quod ad nouam rerum futurarum reuelationem pertinet. Quid enim ea nobis opus est, quæ ad cõtrouersorum doctrinæ capitum explanationem pertinent, in tanta verbi Dei luce? Quod autem ad venturorum prædictionem facit, ea ita sunt Spiritu verboque

Dei

Dei patefacta, vt amplius nihil expetendum videatur: modo ne torpore quodam obdormiamus, & vltroneam cæcitatem iniungamus animis. Si enim quæ scripta sunt omnia, ad nostram salutem & consolationem scripta sunt; quid est quod arbitramur prophetiam a Spiritu sancto Ecclesiæ consignatam esse, quasi cæleſtem thesaurum, ad nudam reuerentiam & admirationē? Quod si ita foret, quorsum hoc eodem Apocalypseos libro nostra tam sæpe excitatur attētio, & quod Spiritus sanctus nostram quasi vellicans aurem, ita admonet? Hic est sapientia Sanctorum: Si quis habet intellectum. Item, Hic est fides & patientia: Item, Si quis habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Et quæ tādem foret rerum incognitarum καὶ ἀνεπιπτῶν vtilitas? At profecto cum Spiritus sanctus beatos pronūciet eos, qui verba intelligent huius prophetiæ; vano non vult nos labore excruciare: sed cū auctoré se beatitudinis istius profiteatur; profitetur & intelligentiæ se fore; si modo qua decet reuerentia ad hæc mysteria accesserimus: nec vt nostræ cupiditati satisfaciamus, sed vt Ecclesiæ proximique ædificationi seruiamus.

Quæ tamen non eo pertinēt, perinde quasi hominum temeritati & arrogantiæ, habenas laxandas putem, qui suo quodam velut Marte, suoque ingenio ista se putant intellecturos. Nam cum scriptura sacra omnis diuinitus in-

ſpirata ſit, nec interpretationis priuatæ: ſed ſicut diuini homines & prophetæ a Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt; ita oportet eam illo ipſo Spiritu auctore cognoſci; quãtæ quæſo temeritatis fuerit, tantorum myſteriorum oracula induſtria intelligentiaque ſua velle reſerare, & Eccleſiæ Dei pandere? Quod qui præſumunt, ſicut a Zacharia propheta caſtigãdi pronuntiantur, ita ab Eccleſia merito coercendi videntur. Modus igitur adhibeatur: vt & reducamus habenas hominum curioſitati, & æmulemur in hac excellere prophetia, ad Eccleſiæ ædificationem. Ita tamen, vt quemadmodum iubet Apoſtolus, placide quæ reuelata fuerint, Eccleſiæ iudicio ſubmittamus. Spiritus enim prophetarum prophetis ſubiici mandat.

Et mea quidem ſententia ea videtur Spiritui ſancto fuiſſe mens in huius prophetiæ obſignatione; vt ætates tamen ſingulæ, quæ proprie peculiariterque ſibi dicerentur, poſſent intelligere; tum ad præſentis temporis conſolationem & admonitionẽ; tum ad futuri cautionem. Et cum hæc eadem propheria potiſſimum extremæ Eccleſiæ ætati ſcripta ſit; vt in ea quaſi e tabella ſuperiorum ætatum lapſus, & inde grauia, quæ eſſent conſecuta Dei iudicia intueretur, & vt ſuis edocta malis, melius ſibi conſuleret in poſterum, nec in eoſdem ſcopulos rurſus impingeret; tanto magis decet nos, quibus hæc ſcripta ſunt, attendere, & præteri-

tis

tis malis prudentiores in posterũ fieri. Nam sicut ea quæ superioribus ætatibus euenerunt, ipsa docet & aperit rerum experientia, & ex illis, ea quæ iã adsunt prædicta nobis videmus: ita & quæ mox aduentant, animo præuidere Spiritu sancto auctore & magistro, nõ ita magnæ difficultatis esse videtur: sed nec e præcedentibus seculis posteriora, qualia futura sunt animo comprehendere, hac eadem Spiritus luce nobis est denegatum.

Quamquam ab eorum sententia longe absum, qui istorum omnium mysteriorum scientiam sibi arrogant, atque in ipsis numeris subducendis ita versantur, vt ipsos dies, tempora, & temporum momenta dimetiantur. A qua eos vanitate, quia nõdum est datum illa nosse, reuocare deberet vox Angeli, qui cum Danieli res panderet populo Dei, Ecclesiæque ad extremam vsque temporum reuolutionem: & is cognoscere cuperet, quo tempore euentura forent: his verbis reuocatur, & de se cogitandum potius admonetur. Esto cõtẽtus Daniel. Nam ista verba sunt obsignata ad definitum tempus. Sed tu perseuera ad finẽ vsque, atque quiesce. Deinde resurges tuo tempore vsque ad finem dierum. Huiuscemodi nimiam curiositatem compescit Hieremias: *Intelligetis*, inquiens, *ista in nouissimis diebus*. Quinetiam Dominus, in quo thesauri omnes sapientiæ atque scientiæ concludũtur, si humanæ suæ na-

turæ denegat temporum momentorumque cognitionem: quia Deitatis erat propria: quãta nostra videri debet curiositas, tempora, & temporum partes, ipsaque pene momenta dinumerantium?

Sed tamen cum iste a me susceptus sit sermo ad reges & principes, quos Christus Dominus ab Antichristi dominatu retraxit, & in regnũ suum translatos eo potentiæ gloriæque extulit, ipsius vt parerent voluntati. Ipsius autem ea voluntas sit, vt eorum in primis opera vteretur, vt quemadmodum per Mosem populum suum a Pharaonis seruitute liberauit, ita Ecclesiam suam ab Antichristi Romani dominatu per eos liberaret: præterea cũ ab Antichristo eadem operâ merita expetat supplicia: ad hæc cum ea, inquam, Domini volũtas sit, vt omnes eadem voluntate, vnaque contentione regnum illud exscindant, & Ecclesiæ salutem atque dignitatem, quam ipsorum fidei commisit, ita procurent: vt beata intus foriſque pace constituta, exsurgat cælestis illa Hierusalem tãtopere a prophetis prædicata: cum, inquam, huius tantæ felicitatis stabiliẽdæ causa Dominus illos architectos beatissimi operis constituerit, vt Ecclesiam a se liberatam pulcherrimo condant ordine: & priscis apostolicisque repositam fundamentis, ita muniant aduersus domesticas externasque omnes iniurias, vt in eo beato statu in aduentum Domini felicissime

me

me conſeneſcat: ad quas ſuperiores cauſas acceſſit & iſta, quod cum pios principes exhortari mihi animus ſit ad Antichriſti excidium: quis ille ſit Antichriſtus, vnde ortus, quomodo creuerit, & quæ ei fata impendeant, putem ex eodem Dei verbo enarrandum. Non quod neceſſe ſit, ſed quod etiam maxime gnaris rem me putem gratiſſimam facturum. Nec enim parui refert quæ facimus alacri conſciẽtia, nec reluctante faciamus: ſed & ſpero imperitis rẽ me gratam facturum. His ego tantis de cauſis veniam mihi darí poſtulo, ſi quid ex verbo Dei mihi videatur, ingenue candideque dixero. In quo ſi quid me fefellerit, ſicut me ipſe non hominem ſolum, ſed etiam ſanctorum poſtremũ vere, libenterque agnoſco, Eccleſiam oro, cuius vnius ædificationi meus iſte deſudat labor: ſcriptum hoc vt diiudicet ex verbo: & ſi quid me fugerit, cuiuſcemodi plurima eſſe video, boni conſulat: ſimul & fratres vberiora donaria a Domino cõſecutos, orabo hoc opus craſſius informatum, ſuâ ſapientiâ, & rerum vſu, vt eliment, atque expoliant ad maiorem Eccleſiæ ædificationem.

Cum autem Eccleſiæ vnum corpus ſit, cuius omnes ætates hac prophetia proſequatur Spiritus ſanctus, & quæ ſingulatim cuique ætati erant euentura, explicet, & quaſi ſub vnum intuitum conſpectumque ſubiiciat: vt alia ex aliis intelligi neceſſe ſit, facere non poſſum,

quin totam hanc historiam quam breuissime potero, perstringam. Nec enim magis ex ætate Ecclesiæ vna, reliquas, vniuersamque eius cõstitutionem licet intelligere, quam e manu pede ve, ac ne ipso quidẽ capite, reliqui totiusque corporis formam animo comprehendere. Ad hæc cum Domini Deique nostri vna sit voluntas, vnumque iudicium, nec hac decrepita ætate sua, Ecclesia sapientior constãtiorque futura sit, quã superioribus fuerit ætatibus; haud quaquam vanum fuerit, præteriti temporis errores commemorare, & ob eos, quæ a Domino sunt consecuta iudicia; ne rursus in eũdem offendat lapidem, vnde hæreses schismataque extiterunt: horrenda, & tam grauia a Domino expetita supplicia, vt ex illis Antichristus velut Episcoporum humeris in Ecclesiam illatus fuerit, & Ægyptiæ tenebræ per eam diffusæ.

Atque vt ad rem veniam, quod eius libri initio Spiritus sanctus sua dat fideli suo seruo Ioanni ad Asiaticas septem Ecclesias mandata; non illarum magis Ecclesiarum, quam cæterarum causa factum est; nec ad eas potius cõscribuntur, in quas sigillatim dispectionem & ὑποτύπ. ei Spiritus sanctus demandarat, quam ad reliquas, quæ toto orbe apostolica manu erant propagatæ, & quas hodie verbo suo congregat, congregandasque molitur. Nos enim sicut stilla e situla diffluimus: & Ecclesiæ perpetuus quidam canalis est, vt diffluentibus vndis,

vndis, vnus tamen perduret ad rerum consummationem quasi fluuius. Itaque quæ Asiaticis est Ecclesiis interminatus Spiritus sanctus, nostris etiam, & nobis ipsis interminatum putemus. Omnibus itaque comminatur Spiritus sanctus, vt nisi in fidei veritate, & in disciplinæ puritate, vitæque sanctitate perseueremus, & quæ iam tum erant enata vitia, & quæ hodie Ecclesiam quoque præfocant, melioris frugis emendatione corrigamus; se lucem fidei verbique sui a nobis subducturum. *Apoc. c. 2. 3.*

Quo beato in statu cum per aliquot ætates Ecclesię perdurassent, reuelatur c. 4. quãta fuerit tum Ecclesię catholicæ felicitas, quãq; suauis obortus sit Ecclesiæ, tum militãtis in terris, tum triũphãtis cũ Christo in cælis cõcẽtus, in laudibus ei Deoque suo celebrandis. Sed enim vt homines sumus, id est, ipsa vanitas; factum est vt Ecclesiarũ pleræque aliquot post seculis a fidei sinceritate recesserint. Vnde hęreses capitales sunt cõsecutæ. Quamobrẽ ob eas iã latius serpentes, quæ antea in paucis fuerant, iisque, vt paleis continebantur; iusta Dei iudicia commemorantur. Non quod nullæ fuissent hæreses antea; sed quod ab apostolicis viris, quorũ singulari Dei beneficio, magna velut seges excreuerat, pro Apostolico ordine facile fuerant cõfutatę atque prępfocatæ: vt Ebionis, Cherinthi, Martionis, Valentini, Theodoti *Apoc. c. 4.*

coriarii, Samosateni, Manetis, Sabellii.

Sed cum surgente episcoporum ambitione iidem pii magis videri, quam esse studerent, & eodem malo dissolui cœpisset Ecclesiæ disciplina; eædem rursus hæreses, quæ antea exciſæ extinctæque videbãtur; rursus velut stolleſcere germinareque cœperunt; vt cum nouæ viderentur, noua quoque nomina sumserint: & in Arianam, Macedonianam, Nestorianam, Eutychianam, & Monothelitas abierint. Extitit postrema velut ab inferis papistica, nõ tam hæresis, quã a Christo Domino, fideique veritate defectio; sed quæ specie pietatis solium thronumque Christi in Ecclesia, terrisque occupauit, & quæ (hominum perfidia dicam, an stultitia) sed quæ tamen spiritalem terrenumque nacta dominatum, omnium euasit truculentissima.

Apoc. 5. Harum tot hęreseon caligine cum obtenebratæ miserabiliter iacerent Ecclesiæ; Dominus in ira suæ memor misericordiæ, singulari pietate viros subinde summisit, qui furentibus episcopis partim odiis, partim ambitione, Apostolicam renouarent fidem, & ab Antichristo Christianorũ animos ad Christum Dominum reuocarent, & aliquot pietatis semen excolerent, quod superesse videbatur, quod in vberrimam Ecclesiæ velut segetem exsurgeret aliquãdo. Ad istam, quam dixi, digladiationem, Ecclesia in horrenda schismata subinde fœde dila-

dilacerata est, & consecuta veritatis ignoratio tanta; vt codex sacer, quia iam non intelligeretur, pro scripturæ loquendi more, obsignatus dicatur.

Sed tamen tantis in malis Ecclesiæ suauissima consolatio proponitur capite septimo, reparandæ Ecclesiæ in pristinum statū ex omnibus tribubus Israel, & gentium plenitudine. *Apoc.7.* Cæterum sicut hæresibus obscuratur veritas, & velut sigillis obsignari videtur, vt iam non intelligatur; ita veritatis illustratio & reseratio lucis euangelicæ, singulorum signorum, quib. obstructus erat codex ille sacer, resignationi comparatur: vt cum tanta ignorantia potissimum ex illis hæresibus septem, quas paulo ante dixi, extiterit, totidem signa a Christo Domino resignari dicantur. Cuius ad doctrinæ tantæ illustrationem furit Sathan, fremūt homines, & vulgo tumultuantur. Vnde ob cordium obdurationem, & quod episcopi suis sæuis odiis Ecclesiam velut ciuiles in partes distraherent atque discinderent, Phialæ iræ diuinæ in homines effundendæ prędicuntur.

In primis autem fœdæ tenebræ prænunciantur sub Antichristi aduentum, & in illis illustrandis piorum magni labores. *Apoc.8.* Quod quidem iniquitatis extremum est mysterium. Est enim ea impietas cæterarum hæreseon pene cumulus, & quæ vel sola, sacrum codicem obstructum obsignatumque tenuit. Quid enim

áttinet Christum filium Dei cõfiteri, & Deum? si denegatur diuina in Ecclesia gubernanda præsensque potentia: vt alio opus sit capite, quod regat, quod moueat, & Christi merita dispenset: qui saluet & damnet? Quid iuuat veritatẽ pleno ore fateri, quæ a nemine cognoscatur? Cætera mitto quæ sunt infinita. Nã pro hæresi & sacrilegio habitum atque vindicatũ, in sacro codice legisse; præterquã eos qui bestiæ characterem haberent: & quod legeretur aliter intellexisse, quam ex ipsius Antichristi sensu. Habere enim Spiritum sanctum in pectoris sui scrinio, e quo scripturæ sensum discere oporteret

Huius igitur in primis ad impietatis reuelationem suscitat Dominus angelos septẽ, cum singulis tubis. Quinam vero sint isti Angeli, nisi iidem quos Spiritus sanctus eodem designauit nomine huiusce reuelationis initio? & de quib. loquitur Apostolus; legatione a Deo fungimur apud vos: supplicantes, vt reconciliemini Deo? de quibus dictum est: Attolle vocem tuam sicut tuba. Est enim scripturæ tuba vox euangelicæ prædicationis: quam velut ore seruorum suorum Spiritus sanctus insonat. Septem autem isti Angeli qui fuerint alii, quã quos illustrandis hæreseon tenebris, & reuelando Antichristo subinde Dominus suscitauit: quos operosum esset enumerare, ita ab Antichristo furente, cum ipsa doctrina eorum

viro-

virorum damnata memoria est: quorum memoriam non nisi ad ignominiam & execrationē vsurpari passus est: vt Petrus Blesensis, Valdo, VVicleſus, Taulerus, Gulielmus de sancto amore, aliique complures, quorum e numero neque Gregorium ipsum Romanum episcopum, qui aduentantem prænunciauit Antichristum, neque Bernardum excludo, qui insidentem iam solio Dei indicauit: sicut neque eos sanctos patres, quorum operâ superiores hæreses fuerunt confutatæ. Quos longum esset enumerare.

Huius igitur Antichristiani regni quã horribiles tenebræ futuræ essent describitur Apocalypseos capite nono; nempe, cum episcopus Romanus, qui quasi faustum sidus superiorib. seculis illuxerat Ecclesiæ, dicitur e cælo præcipitantibus Angelis in terram decidisse propter impietatem, eique data clauis abyssi: quam & aperuit. Ex ea enim prodiisse dicitur fumus velut e fornace magna, qui fumus solē aeremque obscurauit. Ecquis autem fumus iste, nisi humanæ doctrinæ ab inferis excitatę, quibus lux euãgelicæ veritatis est obtenebrata: vt operum merita, & supererogationis cumulus, purgatorium, Missę sacrificium pro remissione peccatorum: non eorum modo, qui eas emunt; sed eorum etiam qui mortui sunt: Inuocationes sanctorum, Indulgentię, & emẽtita cælorum clauis, cum affirmet Spiritus san- *Apoc. 9.*

ctus eum habere duntaxat inferni clauem: cætera mitto impię fedis commenta, quę sunt innumerabilia. Ecquæ vero istæ locustę sunt, quę ex abysso prodiisse simul memorantur, quæ lethaliter homines compungunt, qui signaculo fidei a Spiritu sancto obsignati non essent; nisi primi Monachi Benedictini, qui eodem extiterunt quo Antichristus tempore: quorũ immensum velut agmen repente ex inferis erupit. Et ipse eorum princeps pro Romano episcopo (quod nomẽ iam fastidire cœperat) *Abbadon* vocatus, id est, sicut interpretatur Spiritus sanctus, *Apollyon*: nimirum vastator ille tyrãnus & destructor Ecclesiæ. Is scilicet, cui vel si cateruas hominum ad inferos abigeret, hiscere cõtra audeat nemo, neque quærere: *Cur ista facis?*

Quod tantum malum, quanquam vt pestiferum virus, vniuersum propemodum peruasit orbem; sigillatim tamen iusto Dei iudicio, occidentalibus Ecclesiis est attributum. Quoniam autem orientales, quasi Samaria soror, grauius etiam ad omnem impietatem demersæ erant (sicut huiuscereuelationis initio comminantem illis, atque diserte prænunciantem Spiritum sanctum audiuimus) summissus est horrendum Dei flagellum, Mahometes, immissi Sarraceni, deinde Turcæ, & Persæ, qui velut apri, vineam Domini, illam quondam electam, & tanta arte cultam subruerent. Quæ

vasta-

vastatio per quatuor illos angelos designabatur, qui vincti tenebantur ad Euphratem. Hi enim ægre retenti, tum primum soluti sunt, occideruntque tertiam partem hominũ gladio, eoque fabrefacto, sed multo maiorem impietate sua; propterea quod homines, qui nõ sunt superioribus plagis occisi, non resipuerunt ab operibus manuum suarum, neque a spiritali scortatione, neque a veneficiis sacrilegiisque suis.

Sed Dominus Deus noster, cuius infinitæ iustitiæ par est & æqualis misericordia, Ecclesiæ suæ, sed maxime occidentali, futuram aliquando liberationem ab Antichristi tyrannide promittit. Nam capite decimo ad septimæ tubæ clangorem, sicut erat iam cõsummatum mysterium iniquitatis, ita mysterium Dei consummandum promittitur, quemadmodum seruis suis prophetis promiserat Dominus: & doctrina euangelii Ecclesiæ prædicanda. Nam seriot restitutio orientali promitti videtur, sub rerum consummationem; nempe earum gentium excidio, quæ Ecclesias illas deuastarunt, quæ proculdubio designantur sub nominibus Gog & Magog: verum tantum occidentali reparata Ecclesia, & eius vnius opera, per pios reges & principes promitti videtur. *Apoc.10.*

Promittitur autem noua templi dimensio iam inde ab Angeli septimi clangore, qui resonabat vt tonitru. Per quas voces, quas neque

Apoc. 10. excipi, neque describi permisit Angelus; quid aliud intelligamus, quam Antichristi terrore, & hominum impietate pene inanem fore verbi Dei prædicationem per VValdonem, Arnoldum de Villa noua, Petrum de Rupe scissa, VViclefum, Albiēses & alios, quorum ætas illa copiosam frugem edidit, quorum sanctorum virorum prædicatio propter furores Antichristi, & Monachorum truculentiam excepta non est; neque cum seminata per Galliam, Hispaniam, Italiam, Britanniamque esset, ad optatam frugem peruenit. Et fuit ea quidē doctrina supra mel gustatu piis periucunda: sed quāta quamque grauia tormina afflictionum, & persecutionum, piorum viscеribus & amaritudinem ingenerauit?

Apoc. 11. Hinc igitur rursus templi Dei dimensio instituitur, & a Deo summittuntur, qui illius fundamenta ponant; nempe duo viri quasi candelabra, sed iam bina sanctuarii aurea, aut de quibus synagogæ vaticinatus erat Zacharias, corā Deo lucentia, quos in spiritu Heliæ venturos Ioannes testatur, & occidendos in medio Babylonis, quæ spiritalis est Gomorrha. Qui duo prophetæ Ioānem Hussium & Hieronymum Pragensem designasse videntur, qui in Concilii Constantiensis medio, quod papisticā Gomorrham Babylonemque spiritalem referebat, igne cremati sunt. Quorum Ioānes Hussius e mediis flammis prædixit se in reuerendo

Do-

Doctore Luthero a Domino denuo ſuſcitandum. Sic enim ex ipſa pyra ſummiſſo iam igne exclamauit: *Centum reuolutis annis Deo reſpondebitis & mihi.* Huius enim viri ſpiritū, eodem pene quo prædixerat annorum ſpacio, & ipſo pene momento ſuſcitauit Dominus in bono patre D. Luthero, quem Antichriſto opponeret, ceu Heliam Achabo, & Ieſabeli, ſuorumque ſacerdotum impietati. Sicut & eodem tēpore Zuinglium.

Ille igitur in Luthero velut rediuiuus Elias, ſeptima illa tuba fuit, cuius ad clangorem voces magnæ toto cælo editæ ſunt congratulantium beatorum ſpirituum: & ita fauſta omnia Eccleſiæ ominantium: facta ſunt regna mundi, regna Dei noſtri, & Chriſti eius, qui regnabit in æternum. Tum igitur cælum apertū eſſe dicitur & templum Dei cum ipſa arca conſpectum. Quid autem aliud eſt templum, quam Eccleſiæ typus? & arca, niſi eadē Eccleſia? Sed cum ſuo propitiatorio iuncta, a quo per Spiritum ſanctum inumbratur. Sed quanta tandem maieſtate Eccleſię cælitus eſſe demiſſa deſcribitur capite 12? Sole nimirum amicta; ſed iuſtitiæ noſtræ, qui ſcilicet ſplendor eſt paternæ gloriæ, diſcutiens Sathanæ & Antichriſti tenebras, & inferens in animas noſtras diuinitatis ſuæ lucem glorioſam. Nam corona ſiderum 12. quā geſtat in capite, ipſa ſunt fidei noſtræ 12. capita. Quæ enim alia Eccleſiæ corona, *Apoc. 12.*

per quam æternæ vitæ gloriam assequitur, nisi fides? Quod autem lunam sub pedibus habere dicitur; idcirco fit, quia Ecclesia præ illa corona conculcat humanarum rerũ, vanitatem dicam, an inconstantiam?

Illi autem draco fuluus inhiat, quo eam, eiusque fœtum deuoret. Ecquis autem iste sit draco, Ioannes ipse interpretatur, cum ait serpentem illum esse antiquum, eumque traxisse cauda sua in terram tertiam partem stellarum cæli. Nec vero quicquam est quod per stellas istas intelligendos electos putemus, qui lucere dicuntur vt stellæ firmaméti; & ideo φωστῆρες appellantur, quorum certa & æterna, & ideo immutabilis est electio: sicut & ἀχίνητος is est, qui elegit Dominus Deus noster.

Nec enim oues Christi ex eius manibus eripere vis vlla potest Sathanæ. Sed ii proculdubio veniunt intelligendi, qui in nomine Domini baptizati, & pro electis in Ecclesia, domesticisque fidei habiti, in Antichristiani regni impietatem fraude Sathanæ abripiuntur; quæ fraus per caudam apposite denotatur, per quam is cæco lethalique vulnere animas sauciat; & in qua præcipua vis serpentino generi, vt Papatus virulentia melius intelligatur.

Filius autem quem Christo sponso suo peperit Ecclesia, beatorum spirituum cœtus est, quos is spiritu suo genuit. Qui omnes cum vnum efficiant in Christo velut corpus, sed mysticum,

sticum, cuius ipse caput est, vnius etiam hominis appellatione designantur. Sic enim Paulus omnes electos concorpores esse dicit Christo, eique συσσώμους καὶ συγκοινώνους καὶ συμμετόχους in vnum nouum hominem coagmentatos. Hũc igitur recens natum Christo infantem, quem Ecclesia verbi diuini lacte educat, & sacramẽtis, & materna cura atque disciplina in vera pietate & morum probitate instituit, suluus iste draco concupiscit, huic insidiatur, in hunc deductis faucibus inhiat. Verum de eo, eiusque Antichristo seruatur, & in thronũ gloriæ Dei rapitur. Est enim πολίτευμα nostrum in cælis: & in Ecclesiæ medio, Christi Domini, qui sedet ad patris dextram, thronus est locatus: e quo præsens nos videt, audit, & rerum apud eam agendarum auctor est atque moderator. Idcirco quamuis filius iste in cælum raptus esse dicatur; nihilominus a dracone in terram præcipitato persecutionem adhuc patitur. Fertur enim in eum omni impetu; verũ Michael Archangelus, & Angelorum legiones, qui sunt ministratorii spiritus, quorũ fidei salus nostra demandata est, Ecclesiam tuentur, & Sathanam deturbant, ipsa etiam non segnescente, & quibus potest subsidiis se tuente. Itaque beatam de dracone victoriam, per agni sanguinem comparatam, sed per sermonem fœderis æterni, beati omnes spiritus congratulantur. Sed ea victoria nequaquam est ἀδάκρυς: parta est e-

nim multo sanctorum sanguine. Sed eam victoriam nõdum est quod arbitremur esse plenissimam: Ecclesiæ enim multa supersunt depugnanda ante certamina; quam Sathanam edomet,& mundum debellet. Sed victoria ista spiritalis adhuc intelligenda, quæsita confessione fidei,atque inuicto veritatis Euangelicæ martyrio:qua Sãcti de mũdo, carne, Sathanaque triumphant in spiritu & de Antichristo.

Nihilo magis tamen ex Ecclesiæ possessione deturbatus,præcipitatusque Sathan, quiescit.Sed infestior eam persequitur,& vt absorbeat, populorum velut torrentes e suis faucibus euomit, atque Europâ totâ populorũ tumultus concitat, & regum coniurationẽm in sceleris societatem adsciscit. Sed hos rapidos torrentes ipsa terra absorbet: imprimis autem qui terræ dominantur principes, & humana quædam,quam penitus Sathan abradere deleréque non potuit,sapiẽtia compescit:quæ pudoris quodam retinaculo, modum aliquem Papæ immanitati fecit:dum in ipsa crudelitate iuris alicuius & æquitatis speciem, humana, inquam,sapientia,cupit retinere. Quo veluti freno nisi Dominus Deus noster Antichristi furores cohibuisset, & principes immanitati Papæ subseruire voluissent, & eius crudelitatem explere; tenerum adhuc Ecclesiæ fœtum semenque verbi Dei adhuc lacteum, præfocasset.Id enim ipsum fecissent, quod immissis

populorum furoribus & armatis populatim, sed sero, robustiore iam Ecclesia, facere conati sunt. Ergo prouidentia sua Dominus consuluit huic tenero Ecclesiæ sponsæ suæ partui. Nam ei parauit locum in deserto, vbi tutum receptũ esset habitura. At vero quodnam desertum aliud intelligamus, quam pro hominũ opinione, incultiores mundi plagas Daniam, Sueciã, Scotiam, quibus & addere nihil pudebit ipsius velut parturientis Ecclesiæ thalamum nuptialem, Saxoniam: quo non tam propter longinquitatem, quam Dei cohibentis Antichristi impetum, prouidentiam; illius arma penetrare, nonnisi ægerrime semelque potuerunt. Sicut neque in Heluetiam, non tam montium asperitate illas Ecclesias tuente, quam prohibente Domino. Reliqua Europæ parte permissum Sathanæ per Antichristum, Ecclesiã persequi, & inferre bellum sanctis.

Quod vt velut duplicatis viribus crudelius exequatur, fuluus iste draco comminiscitur ex immenso hæreseωn & impietatis mari, animal sibi persimile, veramque suæ immanitatis atque impietatis imaginem. Et quomodo vero perditi Sathanæ non sit persimilis perditionis filius, homo ille consceleratus & sacrilegus, qui ausus est in solium Christi Domini inuadere, & vim remittendorum, retinendorumque peccatorum, arrogare sibi: conferẽdi Spi-

ritus sancti, & oleo ceremoniisque partim a se inuentis, partim institutis a Christo, sed a se deprauatis, indere: qui se Christi vicarium, & Ecclesiæ caput secundarium gloriari ausus est: qui, inquam, innumeras tales in Deum impudentia sacrilega, blasphemias euomit; quomodo, inquam, non sit Sathanæ parenti suo ita persimilis, vt ouum ouo non sit magis? Qui cum monstrum sit ex omnibus impietatis monstris conflatum, præter illius fului draconis mores, quos exprimit, Leopardi quoque similitudinem referre dicitur: immanitate (credo) citra fortitudinis vllius præstantiam: & habere pedes vrsi, id est, in aliqua hominis specie, illius sæuitiam atque voracitatẽ: vt minime mirum sit, quod partim terrore consternatis hominibus, partim ementitæ pietatis simulatione, vulgo adoratur, & ei exclamatur: Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cùm ea?

Quinetiam iusto Dei iudicio peccata nostra ad emendationem castigantis, & Ecclesiá suam expurgantis, paleamque a tritico secernentis; non modo datum est huic belluæ pugnare cum sanctis, sed etiam illos vincere. Itaque Angelus ille, qui hæc tam tristia fata Ioanni retegebat, nos armari contra iubet, & arma capere. Sed quæris qua nos armatura munitos esse iubet? Illa nimirum πανοπλία, quam iniungit Apostolus: *Hic*, inquit, *est sapientia, & fides*

fides Sanctorum: hic est patientia. Atque vtinam aduersus spiritales nequitias Sathanę, spiritalibus duntaxat armis, diuinis scilicet, & a Spiritu sancto subministratis, fide, patientia, precibus, verbi Dei gladio & nominis Christi cõfessione depugnare nobis licuisset! iamdudum his telis Antichristi impietas iugulata iaceret. Quod cum is futurum prouideret, nec aduersus armaturam Dei suam vim posse consistere, & idcirco propinquum suum horreret interitum: contra vero cum sua temporalia arma didicisset aliquantisper sibi bene successura; non cessauit impius ille fraudes comminisci, quibus orbe toto principes armaret in Ecclesiam populosque conciret: ea spe, illam alienis armis grauatam, vel cessuram sibi, vel si inermis esse perseueraret, indefensam iugulatum iri. Itaque quod est ab regibus principibusque nostris factum, vt aduersus Antichristi furores arma caperent, nec Ecclesiam trucidari paterentur in conspectu suo; maiorem laudem meruerunt multo quam Moses, cum Ægyptium sæuientem in Israelitam occidit. Vnius enim erat illa iniuria. At hæc propugnatio, vniuersæ Ecclesiæ salutem spectabat: & Moses suo zelo muneris officiique sui tempus anteuertit Quod si Dominus gladiũ suũ principibus in manum tradidit ad bonorum salutem, & merita malorum supplicia; quidni eo vterentur totius Ecclesiæ bono? aut quid

fuit quod abdito in vaginam Domini gladio, vniuersam Ecclesiam velut ouem vnicam in conspectu suo trucidari paterentur?

Quamobrem Heroes isti nostri, & qui eorum fidem secuti sunt; sed in primis serenissima Regina Angliæ, non minorem laudem meriti videntur, quam Machabei fratres & Israelitæ, qui eorum signa secuti sunt: qui necessario tempore pro religione populique Dei salute, forti se animo deuouerunt. Nam corpora sua Antichristi armis opposuerunt, neque dubitarunt eius furores in se conuertere, & pro Christi Domini martyrio occumbere; quo Ecclesiæ Dei salutem morte sua redimerent. Sed bene habet; quod Antichristo diuturnior nõ est data victoria, nec longinquior rerum successus promittitur. Est enim illi quidem certũ tempus præfinitum, atque constitutum quousque progrediatur eius rabies. Quod & si nobis adhuc non constat certo, eius tamen dici ortum velut ex aurora surgente prospicere iam possumus. Hunc enim diem Dominus Deus noster in piorum regum & principum potestate posuit, vt maturent. Quis enim dubitare possit; quin ipsi ardentissimis precibus, singulis pene horis ex præscripta a Christo Domino orandi formula, orent vt regnum eius adueniat? Cum igitur de eorum voluntate constet; constat & eam a Deo datam ipsis voluntatem; vt vna res restet certatim, & ipsi aduentanti re-

gno

gno Christi obuiam procedant,& operam auctoritatemque suam,vt simul conferant.Sic enim promittit Dominus se ad meretricis purpuratæ interitum, & regni eius excidium daturũ regibus & principibus, quos ab eius seruitute retraxerit, habere cor vnum, vnamque voluntatem suæ voluntatis obeundæ. Quamobrem orandus est nobis, vt quam singulis dedit excindendi regni Antichristi voluntatem; det & vniuersis. Vt vnum supersit, quod quidem est effectu facilimũ, inter se ipsi vt aduersus Antichristum conspirent, & vt suam quisque præclaram voluntatẽ,in incœpto omniũ, quotquot extiterunt vnquam, glorioſissimo, vna confœderatione testentur.

Qua de re cum hic noster susceptus sit ser- *Apoc.13.*
mo, necessario nobis vnde Antichristi regnũ ortum suum habuerit,& quis illius progressus fuerit,dicẽdum fuit. Deinceps quæ illo regno tuendo Sathan munimenta excitarit, & quis ei impendeat interitus, & qua ratione futurus sit,quæque ab Antichristi excidio consecutura sunt tempora, ex hoc eodem Dei verbo dicendum est nobis. Inprimis autem ecquod animal istud ex inferis a Sathana subornatum atque suscitatũ esse dixerimus; nisi Monachatum? & fuerant illi quidem Papæ qui Bonifacio 3. successerant,singulari cum improbitate, tum audacia: sed quos mox suo scelere & impietate ruere necesse esset, Quis enim ambi-

tionem Paparum? quis nouam inauditamque superbiam diutius pati potuisset, & fœdam κολακειαν, dum vicissim quoque principibus adulantur? Sed vt eos obsequii simulatione ad obsequium suum compellerent. Quis autem Paparum adulteria, simoniam nudam, nec vllo iã fuco adumbratam, quis audaciam, cum se Cæsarum, quam Episcoporum Romanorũ similiores iam videri mallent, ductandis exercitibus, vrbibusque expugnandis, diutius perpeti potuisset? Quis ludos de Sergio formosi, Stephani 3. Theodori, aliorumque, dum se mutuo exauctorant, & alii aliorum acta rescindunt, & ipsa cadauera e sepulchris eruunt, & in Tiberim deiiciunt diutius tulisset? Quis magiam, quam vt Papatus propriam omnes fere profitebantur: & ita aperte, vt quasi feudatarii draconi illi fuluo fidelitatis suæ sacramentum iurarent, nõ exhorruisset? Itaque in eum iam locum apud imperatores, potissimum Græcos, venerant; vt alios relegarent in vltimas terras, alios perpetuis in compedibus vinculisque tenerent, & ceu furiosis belluis oculos eruerent. Vnde factũ, vt sub ortũ Antichristi, plures Papæ annis quadraginta numerẽtur, quam totis primis trecentis annis: quibus Episcopum esse Romanum, hoc erat, quod esse martyrem.

Quamobrem cum Sathanam ipsum suæ iã abominationis stultitiæque pœniteret, seroque cognosceret hanc susceptam in Ecclesiam

regnum-

regnumque Christi tyrannidem, vel nemine impellente, Paparum ipsorum impietate, scelere, ambitione, & dominandi libidine, atque audacia spōte sua ruere? imminentē ruinā noua tenuit arte atque fulciuit. Nam Benedictinorū segnitiei saginæque pertæsus, qui suis molliter opibus incubabant, nouum Monachorum genus instituit: cuius cū vis præcipua esset in Frāciscanis & Dominicanis, iidem geminis cornibus comparantur, quos *Mendicātes* vocant: paupertatis voluntariæ simulatione, & operum mortificatione celebres, atque hominum opinione reuerendos; eosque ex imis inferis eduxit, qui, sicut per Paulum præmonuerat Spiritus sanctus, specioso paupertatis voto, alienas vorarent domos, quique pietatis prætextu, pietatem euerterent. & suorum operum specie, meritum Christi Domini per fidem abolerent. Imo qui suis operibus vitam ęternā, ita affatim demererēt; vt aliis seruandis merita abūde supereſſent. Inde scilicet thesauri meritorum in horrea Papatus congesti, atque cumulati, quos ipse non tantum diuenderet, atque distribueret singulis; sed quos etiam (precio tamen) in totos populos effunderet. Ex eodem auerni luto atque voragine repente prodierunt idola, orbe toto erigi, colique iussa, Indulgentiæ, Missæ cum suo impurissimo transsubstantiationis commento. Quo vno religionis Christianę funda-

menta euertuntur, & ipsius Christi Domini corporis veritas in dubium adducitur, & sacramentorum maiestas ad Sathanæ cultum atque adorationem fœdissima idololatria, vel potius diabololatria transfertur. Quid de sacramentis ab istis ementitis dicã; quibus Spiritus sanctus ita alligatur, vt inde mouere se nequeat: atque etiam precio diuenditur ad omnẽ, quæ libeat, dinundinationem? Mitto iam reliqua, tanta enim impietate excogitata, quid non ausi sint impurissimi & auarissimi helluones?

Hic igitur Monachatus illud est animal e terra existens, quod in speciem habet cornua agno similia, sed ipsius Sathanæ vera: vt mirum non sit si loquatur vt draco: & exercere dicatur potentiam prioris belluæ, nempe draconis illius fulùi, & posterioris. Quid enim interest, nisi quod illa, in hac virus suæ malitiæ euomit in Ecclesiam? Itaque Monachatus iste nihil nõ agit, vt terra & omnes eius incolæ bestiam illã iam adorent, quam suo scelere (sicut dictũ est) abominari cœperant. Sed tamen tum maxime lethale vulnus ei inflictum dicitur, cum a sanctis prophetis, quos pro sua prouidẽtia Dominus subinde suscitauit, tum maxime ab Ioanne Hussio, & Pragensi Hieronymo: inprimisque D. Luthero atque Zuinglio. Hoc igitur Monachatus animal ad conciliandam Papæ maiestatem, eius virtute mirabili edebat opera, sed mendacia: (vt Dominicani Bernenses in suis magicis

magicis miraculis deprehensi, anno 1514) vt etiam ignem cælitus eliceret coram hominibus: sed iræ diuinæ quam suo anathematum fulmine velut alter Salmoneus æmulabatur.

Præcipiebat autem incolis terræ fabricare imaginem belluæ, quæ verbi Dei gladio sauciata, venenis istis conualuerat. Quam Papæ imaginem, quidni putemus Cardinalium esse collegium; quibus ad maiorem sui reuerentiã, quasi Satrapis purpuratisque suis eadem ostẽtationis suæ iura priuilegiaque communicauit: remittendorum peccatorum, indulgentiarumque suarum? Animata est igitur hæc imago Papæ, & ei vis sermonis addita, quam qui nõ adorarent statim iubentur interfici. Et ne forte quisquam eius truculentiam posset effugere; ab eodẽ Monachatu excogitata certa sunt insignia, quibus Dei serui Christique eius, ab Antichristianis dignosci possent: potissimum vero conflatus character ille indelebilis in capite, & duorum digitorũ extremitate in vtraque manu, simul & chrisma Clericatus in frõte. Inuenta & ratio, qua pius nemo fallere posset, nempe nominis diuini horrenda blasphemia & idololatria.

Hunc igitur Antichristum ecquis tam hebes, qui non facile vel clausis (vt aiunt) dignoscat oculis? Veruntamen vt omnis ignorationis excusatio tolleretur; sic serio Ecclesiam admonet Spiritus sanctus. Hic est sapientia: Si

quis habet aurem, numeret numerum belluæ. Est enim hominis numerus, & numerus eius sexcenti sexaginta sex. Quē vero dixerimus maxime proprium hominis numerum; quam eum qui illius constituit essentiam? Quęris autem ecquæ sit ista hominis essentia? nimirum duplex: Constat enim homo exanima immortali, corpore vero mortali. Quod si quis rursus animam illam, velit in suas velut partes, vel potius facultates subdiuidere; eādem inueniet vbique fere διχοτμίαν, tum in mēte, tum in voluntate. Sed & videmus in humano corpore eadem διχοτμία omnia propemodum organica membra bifariam distributa; binos oculos, binas aures, bina brachia, binos pedes: breuiter etiam in ipsis articulis bina omnia. Quod si binarius numerus præter cæteros omnes hominis esse proprius vere dicitur; consequętur maxime quadrare Romano Pōtifici. Quis enim Romanus iste Pontifex? Papa scilicet. Quod nomen e duabus constat literis, iisque ad maiorem attentionem geminatis: & duabus, scilicet, syllabis ad eandem obseruationē duplicatis. Sic igitur concludā cū suo Pasquillo: *Tu es qui venturus eras, an alium expectemus?*

Quapropter cum de Antichristi nomine constet, quid est quod laboremus in numero 666. Nos enim subtiliorem numerorū disquisitionem deprecati sumus, qui certe sine peculiari Spiritus sancti reuelatione cognosci non

pos-

sunt; nedũ vlla humani ingenii subtilitate. Sed quoniam attentionem & intelligentiam nostram excitat Spiritus sanctus, & docet in hoc versari sapientiam, & vt cui mens ineſt, ineat numerum belluæ; & hanc interpretationem oporteat non e Pythagoreorum numeris, non ex obscurissimis scripturæ sacræ locis petere; sed ex ipso rerum vsu & experientia, & præteriti temporis memoria; audeamus & nos verbo Dei, reique veritati cõgruam afferre interpretationem. Quod saluo faciam Ecclesiæ iudicio. Sed tamen quæ plana, aperta, simplicia & humanâ minime infecta sapientiâ; ea mihi & Spiritus sancti maiestati & simplicitati Ecclesiæ, aptissima videntur: vt quemadmodum aliena laudo: sicut est vox [*Latinus*] ab Ireneo edocta, aut [*Ecclesia Italica*] quæ hunc numerum continet; sic nostra a nudæ veritatis studiosis minime explosum iri cõfidam. Cum autem vnius veritatis signa complura possint esse; quid obstat quo minus vno signo pluribus modis veritas obsignetur? Hic ergo numerus 666. duo mihi significare videtur: & tempus a Christo Domino pro peccatis nostris passo, quo exortus est Antichristus: & ætatem duraturæ Antichristianæ tyrannidis. Constat enim vel prædicente Gregorio primo, vel ante illum Leone, Bonifacium tertium, qui in mercedem suæ perfidiæ, primus a Phoca tyranno œcumenici Episcopi superbum titulum nundina-

tus est, auspicatum hanc istam in Ecclesiã Dei tyrannidem, ipso pene sexcentesimi anni momento. Cui temporis spatio si addideris annos 33, quibus Dominus noster in terris viuens redemtionis nostræ mysterium impleuit, & id ætatis qua bellua adoleuit, quantulum abfuerit ab annis 666? Vt quod definitum tempus aliquantulum præuenit ortus Antichristi, peccatis nostris debeamus, ex iusto Dei iudicio, qui liberrime agens suas commiserationes & iudicia temperat, sicuti nobis nouit expedire. Nam quod ad tyrannidis istius diuturnitatem attinet, cum is reuelatus sit ad clãgorem sextæ tubæ, ore Hieronymi Pragẽsis, & Ioãnis Hussii, quos diximus, sicut vaticinatus fuerat Ioanni Apostolo Angelus, in ipsius ciuitatis Sodomæ, conciliique Constantiensis medio, martyrio Christi coronatos esse: qui fuit annus a Christo passo 1415: vt si annos ab exortu Antichristi sexcentos sexaginta sex addimus, ad annos totidem, quibus tyrannidem exercuit; efficiantur anni mille trecenti triginta tres. Quẽ annorum numerũ quod annis octoginta duobus, tyrannis Papalis prætergressa est, peccatis nostris imputemus: & quod annos eius manifestati numerare iubemur, qui cum eodẽ prædicto tempore concurrunt. Sed nec annos ab ortu Antichristi numerare iubemur, sed regnantis belluæ, & furentis in Ecclesia, ad eius manifestationem per prophetas: per quam interrupta

terrupta est regni eius possessio. Verũ sit istud Ecclesiæ piorumque iudicio submissum.

Vidimus e notis nostris in superiora Apocalypseωs capita, quæ fuerit Domini Dei nostri aduersus Ecclesiam comminatio, nisi fidei puritatem & disciplinæ seueritatẽ solicite diligenterque conseruaret: quarum alteram cum aliquot post seculis hæreses in Ecclesiam inductæ corrupissent: alteram partim Episcoporũ ambitio, partim mores impuri per neglectum dissoluissent; vt iam Apostolicæ priscæque puritatis obscura lineamenta supereſſent, & miserabilis Ecclesiæ status videretur: his tãtis malis offensum diximus Dominũ iustissimo suo iudicio immisisse in eã furoris sui indignationem, subrutis illius in Oriente per impias gentes fundamentis, quas ex vltimis gẽtibus euocatas, ad Euphratem continebat, resipiscentiã nostram expectans: In Occidente vero Antichristo suscitato, & per immensos terrarum, mariumque tractus Sarracenis aliisque feris gentibus accitis, quæ nos castigarent, & ad seriam pœnitentiam inuitarent. Huius porro Antichristi duram seruitutem cum pia Dei gẽs per aliquot secula pertulisset, & miserabiliter oppressa ad Deum inclamasset; videndum nobis est deinceps, quibus quantæque suauitatis, & propinquæ liberationis consolationibus afflictam ærumnosissime, & iacentem Ecclesiã Dominus erigat, & meritã de Antichristo,

totoque eius regno atque satellitio promittit vltionem. Agnus autem e monte Sion, id est, Ecclesia, plenitudinem gentium in eam se cõgregaturum pollicetur. Quinetiam quo maior electorũ numerus intelligatur, atque Ecclesiæ diuturnior, firmiorque constitutio; is numerus diserte notatur, qui cum quaquauersum quadratus sit; perfectionem, constantiam, & soliditatem signat. Hos autem, ait, redemit ex hominibus, vt sint primitiæ Deo patri & sibi. Quapropter reparanda promittitur Ecclesiæ soboles per extraordinariam, & per efficacem ministerii vocationem: per quam euangelizetur habitantibus in terra cuilibet nationi, linguæ, & populo: quæ sancta vocatio, quo efficacior intelligatur; ab Angelo e cæli medio facienda dicitur, ad maiorem attentionem, & vt non tam auribus, quam intus intonãte Spiritu sancto, animis homines exaudiant. Itaque conclamant sancti, beatique spiritus, & ita nos ad audientiam exhortantur: Timete Deum, & date illi gloriam. Nam aduenerat hora iudicii eius. Adorate eum, qui cælum terramque condidit. Quam ad vocem euãgelicæ prædicationis, quo intelligeremus Antichristum paulo post ruiturũ; iam inde quasi præcipitato exultat, & exclamat Angelus: Corruit, corruit Babylon, magna illa ciuitas, quæ imbuit omnes gentes vino scortationis suæ. *Apoc.14.*

Veruntamen ne forte quis putet meretricem

cem istam inultam casuram; præmonemur omnes, eam, quod solent iamiam morituri, intentaturam atque contracturam neruos viresque suas, Ecclesiæ quo plurimum noceat: saltem inulta ne cadat. Itaque Ecclesia serio excitatur ad perseuerantiam. Hic est, inquit Angelus, patientia sanctorum: Hic sunt qui seruant mandata Dei, & fidem Iesu Christi. Sed hic furor ad breue tempus duraturus promittitur: additur & insignis consolatio, de iis quos furor iste oppresserit; vt ne quis martyriũ Iesu Christi subire recuset. Audiui, inquit Ioannes, vocem cælitus clamantem; Beati, qui moriuntur in Domino. Nam requiescũt a laboribus suis, & opera eorum illos consequũtur. Sed & propinquus vltionis eorum dies dicitur aduentare. Prodit enim e cælo Angelus messurus falce terram, & congregaturus zizania in ignem æternum, atque vindemiã iræ Domini coaceruaturus ad furoris eius torcular; quo dicit erupturum impiorum sanguinem, ad equorum frenos per mille octingenta stadia. Quibus verbis ingens Antichristianæ coniurationis clades, & insignis piis regibus atque principibus victoria promittitur: qualis scilicet proximo capite 15. & 19. promittitur.

Nam ne mare quidem expers victoriarum Domini, ingloriũque fore prædicitur. Quod enim super mari vitreo sancti ambulare in cytharis dicuntur, canticum Mosæ serui Dei de- *Apoc. 15.*

cántantes; ingens ſanctorum lætitia notatur e felice victoria. Nam quod mare ſanctis eſt vitreum, Antichriſtianis eſt igneum atque ſulphureum. Qua narratione quid aliud animis concipiamus, quam quod nos modò res ipſa docuit, & experientia; inſignem promitti inimirum de Antichriſtianis coniuratis in Eccleſiæ exitium, in mari victoriam: quam ſancti nõ ſuo quidem robore, ſuiſque viribus, ſed virtute potentiaque Dei forent adepturi? Nam cũ inſtabilitas, & tempeſtates maris propriæ ſint; cõtra mare vitreum depingitur: vt ſanctis beata tranquillitas, & in medio mari inuſitata felicitas intelligatur. Per obambulationem vero in eo, & canticum illud Moſæ in cytharis, quid niſi ἐπινίκιον carmen ob partam victoriã denotetur, & gratiarum actio in ipſa victoria?

Et erat certe Hiſpanica claſſis & numero nauium, & ipſo genere atque firmitate terribilis, & quæ ipſi etiam Turcarum imperatori, & Africæ regibus terrorem incuteret: & cui etiam ab annis amplius mille, nulla par, quod quidem meminerim, commemoretur: habebat præter onerarias, naues centum triginta, quarum ſexaginta tantæ magnitudinis erant, vt vix toto Oceano vllæ veniant comparandæ, & quarum quatuor victoriam ad Ambracium ſinum potiſſimum de Turcis comparaſſe credantur. Erant autem militum robore inſtructiſſimæ, ex iis regionibus quæ præcipuam ſibi in re

in re bellica gloriam arrogant: ex Hiſpanis, Italis, Germanis: lectorum militum erant vt minimum XXIII. millia, vel ipſis Hiſpanis teſtibus: qui ad terrorem incutiendum, ſuarumque virium oſtentationem, libellis tota Europa diſperſis, ad XXX. armatorum millia habere ſe gloriabantur. Claſſis erat præterea omni bellico apparatu ita copioſa, vt tormentorum æneorum ſex millia iactarent, & globorum pulueriſque ſulfurei tantam vim, vt ad multos annos, omneſq; belli vſus in aliquot annos abunde ſuppetere videretur. Commeatuum vero tantam vehebant copiam, vt tanto exercitui in dimidium annum ſuffectura eſſet. Non immerito igitur ſi hanc claſſem ſuo robore æſtimas, Hiſpani Inuictam claſſem, Inuictum & exercitum gloriabantur. Itaque veniebat tantam audaciam ſpirans, vt non tam ad bellum, quam ad certam exploratamque victoriam plenis velis nauigaret; nihilo Britanniæ, imo Eccleſiæ Dei, mitior futura, quam barbaris ſolent eſſe Indicis. Erat enim in animo alteram in Oceano ſeptentrionali Hiſpaniam nouam condere, abraſis populis & extinctis: ne quando paucitatis Hiſpanorum contemtu haberent rebellandi voluntatem: vix ipſis infantibus parſuri: quib. ſtigma inurere conſtituerant, ad ſuperſtitis gentis ignominiam.

Præter has tantas copias, Hiſpaniæ Rex in

Flandria Parmensi Ducę, habebat alium exercitum, quem ferme biēnio ante conscriptum sub signis habebat, & ingenti sumtu alebat. Nam si Bernardino Mendozæ apud Regem Galliæ legato credimus, sumtus huius exercitus menstruus, erat ad quindecies centenûm millium coronatorum. Constabat autem e XL. millibus peditum lectorū: & XII. equitū millibus, si eidem Mendozæ credimus, quos vel in castris iam habebat, vel in Germania ad omnem occasionem conscripserat, quibus stipendium menstruum pendebat. Has tantas copias non modo domandæ Britanniæ, & coloniis nouis deducendis sat magnas esse iudicabat: sed Ecclesiâ etiam totâ Europâ extirpatâ, nouæ per Europam parandæ Hispaniarū regi Monarchię. Sic enim gloriabatur Bernardinus Mendoza, magna se esse spe, hoc quadriennio toto videndi Regem suum omnium Europæ regnorum Monarcham. Nam subacta Britannia, Galliam, quæ iam magna ex parte, Liguæ istius operâ, sua esset facta; haud ita magnam moram allaturam. Quib. regnis domitis atque debellatis; Germaniam, vt est ditionibus diuisa, & religionum diuersitate distracta, non posse diu tantis opibus terra marique obsistere.

Habemus inuictos exercitus: videamus cōtra quibus viribus Dominus Deus noster singulari sua prouidentia, Ecclesiam suam e tanto discri-

discrimine liberauit. Est quidem Anglię regnũ nauibus, armis, viris, omnique bellico apparatu ita instructum, vt nulli regnorũ, quæ in Europa florere videntur, cedat. Tanta classis instructa publice, priuatorumque studiis; vt satis esse iudicaretur non Hispanicę solum classi repellendæ atque fugandæ, sed etiam continendo Parmensis Ducis exercitui; ne sicut conuenerat, se cum classe coniungeret Hispana: vt terrâ marique rem vno impetu gererent. Tantæ terrâ copiæ aderant, vt omnibus litoribus, quibus appelli posset, non firma modo præsidia, sed fortes, validique exercitus forent impositi: instructi omni commeatuum, reliquorumque belli instrumentorum copia. Præterea exercitus inuigilabat ad fines regni, ne quid a finitimis moueretur, conscriptus, & ad primum quodque signum paratus. Et ne quid intus turbaretur; amplissimæ copiæ, duce, milite, armis, equisque instructæ ad omnes casus erant paratæ. Sed & exercitum penes se sereniſſima Regina pari robore habebat, quem Parmensi, & Hispanis opponeret, si terram caperent. Atque tot exercitus tantis omniũ subditorum, ad suæ Maiestatis incolumẽ statum, patriæque salutem, animis administrabantur; vt pro innato huic gẽti militari robore, & suæ patriæ summa charitate; ipsi Papistæ, quorum vana confidentia inductus potissimum ad hãc expeditionem suscipiendam Hispanus crede-

batur; ipsorum etiam fidelium, Ecclesiæque, cuius inprimis ea res agebatur, studia superare contenderent. Tanta est insita huic genti patriæ charitas. Quin & serenissimus Scotiæ Rex, cuius multis de causis offensio timebatur, suis postpositis rebus, Ecclesiæ saluti, Christique Domini gloriæ, non suas tantum copias, quæ viris, & equis validissimæ sunt; sed etiam suam operam præsentiamque obtulit. Postremo principes exteri tum priuatam amicitiam cum serenissima Regina secuti, tum communi causa saluteque permoti, cum suam in eius incolumitate salutem versari viderent; e Germania, Dania, Hollandia, Galliaque quicquid istud est, quod possunt, quod quidem est amplissimum, certatim obtulerunt.

Et sunt sane tantæ opes, atque præsidia Dei benignitate serenissimæ Reginæ conciliata, atque comparata: verum Dominus Deus noster nec serenissimæ Reginæ, nec Ecclesiæ saluti deesse voluit. Suam enim velut præsentis dexteram, qui totus vbique est, fortissime potentissimeque exeruit. Nam ab ipso Hispaniæ portu, ac limine superbam istã classem, atque a Papa consecratam omni ostentatione dirisque, & etiam ipsi pene cælo minitantem, afflixit æstate media, & tum tranquillo mari: vt triremeis instructissimæ & maximæ treis, alto absorptæ sint: vna cassa & lacera ægre se in portum receperit. Reliqua nauigatio diebus

ad

ad ſummum 13. ex Vlyſſiponenſi portu feliciſſime confecta: non velis magis plenis vento, quam ſpe & ſuperbia animis tumentibus. Sed cum ſub æſtatis occaſum ab Anglis non amplius nauigatio timeretur, & ſecurius iam agerent; repente claſſis Hiſpanica apparuit. Et quod perincommode accidit; concluſa claſſe Anglica Portumenſi & Plemmenſi portubus, qui ſunt Notho aduerſi, qui tum perflabat. Ad quod nuntium cum raptim Præfectus maris Anglici, eiuſque Subpræfectus Franciſcus Draco, fortiſſimi & ſpectati bello Duces, ſuas naues educerent ſub veſperum; & vix naues ſexdecim prodiiſſent, aliis longo agmine nitentibus; tantum Dominus Deus noſter terrorem Hiſpanicæ claſſi immiſit; vt ſi eas naues repentino aduentu opprimẽdi ſatis animi fuiſſet; quantum quidem humani iudicii cõiectura conſequi poſſumus; ab Anglis magna clades accipi potuerit. Sed quid auſi eſſent, Domino perterrente? Itaque ad primum Anglicarum nauium impetum Hiſpani ſecundo vſi vento, eripiebant ſe hoſti, fortiter inſectanti: quod ea trepidatione factum; vt naues duas validiſſimas, quibus & præcipuæ virtutis cohortes vehebantur, & magna vis pecuniæ ad terreſtris exercitus ſtipendium, fuga deſerere nihil vererentur: quæ non magno certamine deditionem fecerunt: captæque ſunt. Ab eo tempore pudore fugam cohibente, ſed animo

fugitiuo, denſo agmine, & velut ad prœlium inſtructo nauigabant ſecundo vſi vento, & nonnihil iam confidere, & fugæ ignominiam reparare videbãtur; vt anchoras iacere, & ſubſiſtere audere crederentur. Sed ad aliquot incẽſarum de induſtria ab Anglis nauium ſpeciẽ, ac velut ad nocturnum ſpectrum, quale a Gedeone Madianitis oblatum, tantus pauor repente claſſem inuaſit Hiſpanam; vt deſertis anchoris, rudentibus raptim abſciſſis, velis ventoque ſe commiſerint: quo in tumultu fortiter inſequentibus Anglis, naues aliquot partim depreſſæ ſunt, partim in vada illiſæ. Et cum ſub exercitus Parmenſis Ducis præſidium cuperent perfugere; vel vada veriti, vel ſurgente vento impulſi, fugam iam aperte fecerunt: ſed bombardis ex Anglicis nauibus tam male accepti, vt multæ naues laceræ perierint, multæ ægre ſequerentur.

Ac ne vane Domino Deoque noſtro tantæ victoriæ laudẽ tribuere videar; vtar ipſius ſummi Ducis, virique præſtantiſſimi Britannicæ claſſis Præfecti, quem Admiralium vocãt, auctoritate: qui quodam in ſcripto, quod eius nomine circumfertur, hanc Deo gloriam dixit, ei nec inuidit: ſuæve maluit attribuere virtuti: „ Verum (inquit) iſta omnia geſta ſunt ſola Dei „ bonitate, contra omnium opinionem. Nam o- „ mnium iudicio tãtum idonei eramus, qui claſ- „ ſem tantum admirabũdi ſpectaremus. Neque

vero

vero ab initio congressus vsque ad exitum, nostræ plures naues quã XXII, aut XXIII. ad summum fuerunt, quæ auderent propius accedere: cum hostium 90. naues essent æque maximæ, & validissimę, quæ continenter prœliarẽtur. Hęc vir ille non virtute magis militari, quã pietate clarissimus. Huius igitur viri tanti auctoritate ita concludam: Dominum Deũ nostrum Principem in hac victoria, causaque sua laudem sibi vendicasse: secundas vero partes Reginæ serenissimæ, fortissimisque ducibus, quos in tantæ victoriæ societatem ascisere dignatus est, detulisse. Constat autem ipsorum captiuorum testimonio, tãtam animorum obortam a Domino inter Hispanos consternationem; vt si propius ad eos accessum esset, & cominus iniectis harpagonibus & vncis ferreis decertatum; totam classem, tradente ipso imperatore, deditionem esse facturam.

Hanc ergo Dei victoriam prosequentes secundo vento Britannicæ naues, velut e mari vitreo, sed Hispanis sulphureo, Domino Deo suo canticum Mosæ serui Dei concinebant: Magna sunt & admirabilia opera tua Deus omnipotẽs! Iustæ tuæ viæ sunt, veræq; Rex sanctorum Domine. Quis non timebit, neque cõcelebrabit nomen tuum? Sanctus es enim. Quamobrem gentes confluent, & adorabũt coram te. Sunt enim manifestata iudicia tua. Hoc igitur, aliisque carminibus fugiẽtem clas- *Apoc. 15.*

sem prosequentes Anglicæ naues ouãtes, perduxerunt sub sexagesimum eleuati poli borealis gradum. Sed cum desperato classis Hispanicæ sub Autumnum aduentu, velut defunctorie paratus esset commeatus, & sub Hispanicæ classis appulsum, in naues raptim impositus; deficiente pene puluere tormentario, reliquoque belli instrumento, atque commeatu, non modo naue nulla amissa, sed ne vix lacerata quidem, quamuis sex millia maiorum tormẽtorum, ipsorum confessione, imo gloriatione, haberent; Angli domum incolumes ingenti cum alacritate, cum auro Hispanico in ipsorũ perniciem conuecto, redierũt. Hic igitur finis insequendi fuit.

Sed Dominus Deus noster nihilominus suã e manibus victoriam nõn dimisit, sed est ita fugitiuos suos persecutus, vt alias naues in Norũuegiam, alias in Orcadas insulas, alias alio loco disiiceret: vt pleræque vadis impactæ naufragium fecerint, aliæ in hostiles manus deuenerint. Quibus cum non pessime actum est. Nam ex ægrorum copia, & corruptorum cõmeatuum fœtore, sed inprimis aquæ putrefactione, magna lues inuaserat ita naues, vt magno numero morerẽtur. Quanto autem cum dolore putemus ipsorum dominorum, & tam superborum Equitum manibus, egregios Hispanienses equos in mare præcipitatos, ad alleuandam putris aquę penuriam, qua laborabãt?

eodem

eodem multam & mulorum mularumq; multitudinem deiecerunt, quos ad impedimentorum castrensium subuectionem deuehebant. Ergo misera classis insequente Dei iudicio, per duos menses euagata per maria, cum portum nullum haberet, quo se reciperet; tandem ad Hiberniã disiecta est, vel impacta potius: vbi, quo Domino visum est impulsæ, primum naues XII. maiores fœde perierũt: cum iam mallent Hispani barbaris ad cædem se tradere, quam mari se committere, & tam dira diuinitus perpeti. Ita iustus Dominus perduellis suæ superbęque gentis animos fregerat, atque malis contuderat. Cum reliqua classis non incõmodum nacta vẽtum, se subduceret, & in Hispaniam retro contẽderet; ecce rursus Dominus fugitiuos suos e fuga retraxit, & in Hiberniam impegit, barbarisque tradidit, qui paucis seruatis, reliquos obtruncarunt. Vt e tãta classe tantoque exercitu vix XXX. naues redierint, eæque minores; nisi quod in iis treis maiores fuisse dicuntur: hominum vero cuiuscumque generis vix tria millia: sed animam ægre trahẽtium. Tametsi idpotissimum pro illorum salute supplicat Ecclesia, pro tantis quæ minitabãtur malis; vt propitius Dominus, cuius infinitæ potentiæ, iustitiæque par est misericordia; reliquias seruet aliquas, quæ eius admiranda pro Ecclesiæ salute opera testentur, & cognoscant non iam metu stupefacti, sed fide confirmati;

si salui deinceps homines esse velint, ab ista secedant Babylone: ne eodem Dei iudicio oppressi miserrime conterantur. Sed quoniam ne hac quidem plaga, homines, vt sunt ad suam deuoti pernicíem, ab Antichristo ad Christū Dominum volent perfugere; quantumuis apertum esse templum Dei, & fumo velut vapore quodam, e Dei præsente maiestate excitato completum Ioannes Apostolus affirmet; nemo tamen impius illud ingressurus dicitur; donec septenæ, septem Angelorum plagæ in Papatum immissæ fuerint: sed ad quas effundendas ipsi se mutuo adhortantur Angeli.

Priusquam vero ad hanc prophetiā redeo, colophonis loco, hoc vnum annotatū velim, quod ait Ioannes seruos Dei in mari vitreo, ipsisque tranquillo, sed hostibus igneo cecinisse canticum Mosæ serui Dei; videri mihi & id prædicere, ob talem similemque victoriam, ob quam decantatumest a Mose totaque synagoga carmen illud; similem quoque gratiarum actionem demersis in maris profundum cum ipsis equitibus equis, euersaque Pharaonis alterius superbia, iri decantatam. Eodem enim miraculo res pene gesta, eadem enim promis-
„ sione nos confirmauit Dominus: Nolite time-
„ re: Persistite, ac videte salutem Domini, quam
„ faciet hodie. Nam Ægyptios, quos hodie vidistis, nunquam videbitis. Dominus enim depugnabit pro vobis, vos autem quiescetis Sic enim

nim Ægyptii dixerunt: Fugiamus ante Iſraelē. Nam Dominus pro illis prœliatur. In illo autē die Dominus ſeruauit Iſraelem de manu Ægyptiorum. Vidit autem Iſrael Ægyptios mortuos per litora: Vidit, inquam, Iſrael magnam illam potentiam, quam intentauit Dominus contra Ægyptios. Populus autem timuit Dominum, & credidit in Dominum, & Moſæ ſeruo eius.

Verum vt iam ad id reuertar quod cœperā, ingentes calamitates in Antichriſti ciuitatem velut iræ iudiciique Dei phialæ, effundendæ prædicuntur. Sic enim Angelus ex aquis exclamat: Iuſtus es Domine! Qui eras, qui es, ac ſanctus: propterea quod iſta iudicaſti. Nam cum effuderint ſanguinem ſanctorum ac prophetarum tuorum, dediſti quoque eis pro merito ſanguinem potādum. Cuius diuini iudicii modus deſcribitur; Cū ait fore; vt aduerſus Chriſtum pro Antichriſto nihilominus reges coniurent, populique inebriati vino ſcortationis eius tumultuentur. Verum quid efficient amplius obluctando calcibus aduerſus ſtimulum Dei; quam vt triumphos cumulent Chriſti, & maius ſuum augeant, maturentque exitium, & ſuo papatui ruinam? Dominus autem cum ſit omnipotens, & voluntatis ſuæ nutu totum illud regnum poſſit euertere temporis puncto; tamen eo honore pios reges & principes dignatus eſt: vt eos in victoriæ ſuæ ſocietatem

Apoc. 16.

Apoc. 17.

vocet. Itaque aduersus hanc impietatis contumaciam euocantur illi ab extremis orbis finibus. Ac ne quid ad vltionem Dei properantes remoretur; ingentia flumina exiccãda promittuntur. Vnius autem difficultatis mentione, Dominus omnia se sublaturum impedimenta pollicetur, & viam ad victoriam explanaturũ: vt nec Alpium iuga, nec vrbium munimenta, nec exercituum velut obiectæ moles, ad vltionis Domini diem properantes pios reges & principes distinere possint. Congreget itaque Romanus Antichristus per suos Iesuitas, malignosque spiritus, principes & populos, quos suis veneficiis fascinauit, ad prœlium cum volet: patet illi locus amplissimus in *Armagedon*: id est, in eius suorumque trucidationi destinatum locum. Quinetiam ipsa tota Antichristi ciuitas & communis coniuratio, sicut pax esse impiis inter ipsos diuturna non potest: sicut ad turris Babel propugnationem coiit, ita labia & studia alia ab aliis diuidenda promittuntur trifariã; vt impleatur quod ait Dominus: Omne regnum contra se diuisum desolatum iri. Cuius certe distractionis iam hisce diebus in Gallia semina a Deo videmus; Antichristi artibus ipsi regi, & populis, qui non sunt excæcati, patefactis, vt de se iam cogitent.

Apoc.17. Ac ne quis istorum vllam condemnationi suæ prætendere possit excusationem; quis iste sit Antichristus, velut e tabella Spiritus sanctus

descri-

describit capite 17. Sic enim depinxit Angelus potius quam delineauit: Veni; ostendam tibi « condemnationē magnæ meretricis, quæ mul- « tis aquis insidet, cum qua reges terræ fornicati « sunt, & cuius scortationis vino inebriati sunt « incolæ terræ. At vero per aquas, quibus insi- « det, ipso Angelo interprete, populi, & multitudo gentium furiosa, velut torrentes e præcipiti intelliguntur: quos meretrix ista Babylonica ruētes plus satis furore suo, magis impellit. Quod autem subiungit Ioannes se vidisse eam insidentem belluæ; Roma, Monarchiæ Romanæ sedes designatur, quam Antichristus pietatis simulatione verbum Dei impudenter ementitus occupauit. Cuius quam superbus cultus futurus esset, docet: cum ait meretricem vestitam purpura, & colore coccineo, quem vt sibi proprium, tot fuso purpureo sanctorū sanguine, sibi dedicauit: excultam autem auro, gemmisque, ac margaritis splendidam: Cuius in manu quid significare aliud putamus aureū illum calicem plenum abominationum & immunditiarum scortationis suæ; quam nefanda traditionum veneficia? Sed in primis Missæ, quæ e suæ superstitionis instrumēto præcipuo συνεκδοχικῶς denotatur. Et hoc sane calice suo impurissimo videmus reges & incolas terræ demētatos, & in has bestias quasi e Circes poculo conuersos. Titulus autem quē in fronte præfert, hoc illud tam admirabile, quidni

mysterium significet Transubstantiati panis & vini in ipsum Christi Domini corpus & sanguinem? Sed & potestatis eius mysteriū, quô habere se gloriatur Spiritum sanctum in pectoris sui non tam scrinio, quam sacrario? & ita potestatem habere cælo ac terra seruandi atque perdendi quos libitum est: dandi regna, exauthorandorū regum, & eorum regna trāsferendorum in quos visum est. Sed huius tanti mysterii in fundum, si penitius, velut in annuli
» palam inspexeris: scriptū inuenies: Hic est An-
» tichristus ille perditionis filius, qui per impie-
» tatis furorem inuasit in Christi thronum, & in
» Ecclesia dominatum occupauit. Quam vero ad expressam veritatem, & vt ita dicam, ad viuum, dicitur ebria esse sanguine sanctorum & martyrum Iesu Christi? Quis enim Mahometes, quis Sarracenus, quis Turca, quis ex ima Tartaria, tanto odio & crudelitate Ecclesiam Dei vnquam est persecutus? Cuius alterius sectæ immanitatem non extinxit puerilis ætatis & fœminei sexus commiseratio? At ista meretrix nullius miseretur: & semel reuocasse ipsius impietates in dubium, scelus est nulla pœnitētia, nullo supplicio expiandum. Quod autem mater abominationum & scortationum terræ dicitur: Quis non agnoscat Romanum Antichristum in quinque suis Conciliis dominantem (quorū tria Romæ habita) & transubstantiationis abominationem imperantem, & edi-

cen-

centem credi in tertiumdecimum fidei articulum? Nam cætera mitto, quæ sunt innumerabilia: & quod ex hoc vnico, tetram Belluam, filiumque illum Sathanæ primogenitum licet æstimare. Vnum Tridentinum Cõciliũ, quod tanto furore bellico, orbi terrarum obtrudit, satis attestatur, eum non imperium dumtaxat in reges moliri: sed ipsa regna immediate sibi subiicere velle. Quod qui recusarit: impium, sacrilegum, hæreticum, & ignibus tollendum.

Verum enim vero quam graphice meretrix ista depingitur a Spiritu sancto: cum ait eã ciuitatem, in qua suæ dominationis superbiam erat ostentatura; illam ipsam esse, quæ huiusce reuelatæ prophetiæ tempore imperabat regibus terræ, & orbis imperium tenebat. Quis enim Romam non intelligat? Nam quod eadẽ bestia, qua vehitur, fuisse quidem, sed iam esse desiisse subiungitur; illud ipsum magis confirmat. Idem enim locus est imperii prisci, & eadem sedes hodierni imperii nuncupatur: sed quantopere ab illo mutata? Vt iam vetus Roma Romæ quæratur, & illius imperii solum nomen reliquũ sit. Ita fuit, & non est amplius, cum tamen sit. Nam septem capita Belluæ, expresse septem illi colles esse dicuntur, quibus Antichristus insidet. Quis enim ignoret septicollem depingi Romam, & appellitari? Quod autem præterea reges septem designari docet

Angelus: saluo Ecclesiæ, suoque cuique homini pio, iudicio, septem insignes designari videtur superbi Papæ, & præter cæteros velut egregii & insignes, per quos plurimum ista in Ecclesiã inuecta potestas est. Quid enim sunt Papæ nisi Regum Reges, qui imperia, regnaque condunt, diruunt, transferuntque pro sua libidine? Quinam autem illi fuerint, tacitæ cuiusque recordationi relinquã. Mihi tamen omnium scelerum antesignani, & coryphæi videntur Bonifacius 3, Gregorius 6, & qui eius discipulus, præceptoris sui impietatem & impudentem superauit audaciam, Hildebrandus, qui & Gregorius 7, Vrbanus 4, Innocentius 3, vt aiunt, Hildebrãdi nepos, Bonifacius 8, Alexander 6: quibus addas licet in corollarium, octauum hunc extremumque, qui tanta furit rabie, Sixtum cognomine Quintum: re vera, vt nequitia, ita & ordine, si Deo placet, & ei principes parebunt, postremum.

Habemus igitur quis iste sit Antichristus, quem Christi Domini, vt capitalem hostem, his nouissimis diebus in ira sua conficiendum determinauerit: Subiicitur modus mactationis eius capite Apocalypseos 17: de qua saluo Ecclesiæ iudicio, dicã quid mihi ex verbo Dei verissimum esse videatur. Regnum Antichristi duplici nobis est ratione considerandum. Alterum enim, quia in Spiritus hominũ, terrore mortis æternæ dominatur; Spiritale quo-

Apoc. 17.

que

que vocemus licet: per quod abrogata doctrina fidei, & passionis Christi meritô, suaque Missâ inductâ, & suis meritis, suo & purgatorio, atque indulgentiis, in hominum animis dominatur; æternæ mortis ignibus propositis, si quis contra senserit. Est & alterum temporale Antichristi regnum; quô euectus in imperii Romani, cæterorumque principum ceruices, superbam in illos, populosque dominationé exercet. Ait enim sibi quoque, vt Christi vicario, datam cælo terraque potestatem: cuius beneficio atque gratia, velut precario reges suam potestatem ab illo habeant: vt nisi eius libidini pareant, omnibusque mandatis quam mox obsequantur; vt ingrati, & hæretici sibi mandatis, regnis excidant, & vt ab hæreticis & Deo rebellibus, ad suam sedem rursus deuoluantur.

Quod ad spiritalem Antichristi tyrânidem attinet, qua eam ratione Christus Dominus extincturus sit, docet Apostolus 2. Thessal. 2. "Num meministis, ait, me hæc prædicere vobis coram, cum essem præsens? Et nunc intelligitis, quid eum teneat adhuc, vt suo tempore reueletur. Nunc enim mysterium iniquitatis operatur: sed qui rerum potitur, id est, Christus Dominus, potietur adhuc, donec ille aboleatur. Tum enim reuelabitur impius ille, quem conficiet Dominus spiritu oris sui, & abolebit aduentus sui luce: id est, verbo, & scriptura per

Spiritum ſuum. Capite vero eiuſdem libri 19. ſicut & iſto 17. docemur Chriſtum Dominum vtramque tyrannidem vtroque gladio exciſurum: illam, eo qui ab eius ore procedit: qui eſt verbum Dei: alterã, quæ temporalis eſt, ipſius in primis virtute diuina deſtructam iri: ſed & principum piorum gladio. Illã ergo Antichriſti dominationem, videmus, Deo gratia, per omnes Chriſtianas prouincias magna populorum conuerſione partim ita iam abolitam, vt abraſa pene ex animis eius ſit omnis memoria partim ſub Antichriſti tyrannide, etiam vbi ſuam Inquiſitionis Hiſpanicę carnificinam exercet; ita tabeſcere, & paulatim confici, vt vix, nec niſi precariô ſubſiſtat: ſed qui iam iam, (vt equidem de piorum regum & principum pietate mihi perſuadeo, quos Dominus ab eius tyrannidis ſeruitute liberauit) ipſorũ gladio conficiendus quam primum promittitur. Eos enim honore tanto dignatus eſt, vt hanc ſuam deleti Antichriſti gloriam, cum illis communicatam velit. Sic enim ait Angelus, cornibus decem, quibus tamdiu inſignis dominatus eſt Antichriſtus, totidem reges deſignari; qui vim & poteſtatem ſuam dediſſent Belluæ. Quos poſteaquam ſuo tempore vicerit Agnus Dominus, ſed gladio ſpiritus verbique ſui, per fidem & Euangelii prædicationem, eos immutata in melius voluntate per pœnitentiam: viciſſim odio infenſiſſimo perſecuturos illam

mere-

meretricem, ac omni cultu atque ornatu spoliaturos, igni crematuros, atque eius etiam carnẽ præ odio pene voraturos: Propterea quod, inquit, Deus immisit in eorũ corda eam mentem, vt faciant quod ipsi complacitum est: & vt concordi sint inter ipsos voluntate, donec istæ promissiones penitus impleantur.

Ergo suo quæque generi conferamus: & quod ait Apostolus, Spiritalia spiritalibus cõponamus, terrena terrenis: vt Christus Dominus spiritu verboque suo spiritalem istam tyrannidem ex hominum spiritibus profliget: terrenam vero, terreno principum regumque gladio. Nec enim omnia Ecclesiæ facta promissa, ad allegorias trahenda: cum enim ea ex animis regenitis præcipue constet; hominibus tamen etiam externis bona spes proponitur. Idcirco dixit antea Angelus exiccanda ab vltimis terris flumina, ne quam properantibus ad diem illum diuinæ vltionis regibus difficultatem afferãt. Sed tamen sicut in nauali illa Christi Domini victoria (de qua diximus) ipse Dominus præcipuus hostis, præcipuas quoque partes assumsit sibi, ac prope totas, sed tamen serenissimam Reginam in laudem victoriæ, triumphique gloriam cooptauit; ita per pios principes Dominus hoc temporale Antichristi regnum, sed sua virtute prosternet: verum delendi iugulandique eius atque persequendæ victoriæ suæ munus piis regib. atque

principibus iniunget. Eos enim cõgregaturus dicitur ad prœlium illud celeberrimum in Armagedon, & lanienæ destinatum locũ: ad quẽ volucres inuitat; sed aquilas illas quæ carne & sanguine Domini pascuntur: Venite, exclamat „ Angelus, & congregamini ad magni Dei epu„ lum; vt deuoretis carnes ducum, regum, robu„ storum militũ, & equorum. Tum vidi, inquit „ Ioannes, Belluam & reges terræ, illius scorta„ tionis vino ebrios, cum suis copiis congrega„ tos. Capta est igitur Bellua cum suo Monacha„ tu, & Cardinalium collegio: qui viuentes, præcipites dati sunt in stagnum igneum ardens inextincto sulphure. Reliquus autem exercitus cæsus est, sed eo gladio, qui prodibat ex eius ore, qui vehebatur equo.

Sed minime credendum est aues cæli dici allegorice saturatas, nec congregatos exercitus ad depugnandum, qui per verbi prædicationem conuersi quam mox mortui corruerint. Sicut ne hæc victoria pastorum auspiciis comparanda promittitur: verum Christi Domini inprimis, ac regum piorum & principũ, quos nõ vult otiosos, velut decussatis brachiis, spectatores oscitabundos præbere se suæ victoriæ: sed hastam, vt aiunt, secum mouere. Nam quod contra quidam solent allegare Ecclesiam esse spiritalem, cuius arma sibi cõgrua spiritalia sunt; Fateor id quidem spiritalem dici Ecclesiam, a Dei Spiritu, & a spiritibus nostris

ſtris regenitis, qui in ea principatum obtinent. Sed cum & Eccleſia in terris militans, conſtet ex hominibus iſtis exterioribus, & iſto carneo domicilio; Dominum dico etiam corporum iſtorum rationem ducere: vt quæ velit ab Antichriſti ſeruitute turpique idololatria in ſuam libertatem aſſerere multa vi atque potentia; & ſicuti dictum eſt, tẽporale Antichriſti regnũ, tum temporalibus principum armis, tum maxime verbo ſuo profligare. Cuius profligationis modum docuit nos Angelus; nempe quãdo illis cor vnum, vnamque voluntatem dederit obeundæ ſuæ voluntatis. Decẽ, inquit, cornua quæ vidiſti in Bellua, ii ſunt, qui odio perſequentur meretricem: ii eam denudabunt omni præſidio, eius carnem comedent, & igne cremabunt. Nam Deus immiſit in illorũ corda, vt vna ſint voluntate; dentq; regna ſua belluæ; tantiſper dũ verba Dei impleantur. Quod ſeries huiuſce Dei voluntatis exequendæ cõprobabit. Nam capite 19. admirabilis conſenſio, & alacritas principum declaratur vndique ad diem vltionis Dominicæ conuenientium, cum Angelis & cæleſtibus ſanctis, atq; iis qui terras adhuc incolunt. Laudate, aiunt, Dominum Deum noſtrum omnes ſerui eius, tum magni, tum parui, qui timetis Deum. Nam dies nuptiarum aduenit, & ſponſa parata eſt. Deinde, inquit Ioannes, vidi cælum apertum, & ecce qui vehitur equo albo: vocatur autem fide-

lis & verus: is scilicet qui recte iudicat, & fortiter depugnat. Oculi eius vt flamma ignis: Eius in capite complura erant diademata: Is, inquã, cuius nomen vni ipsi cognitum: indutus is erat veste tincta, imbutaque sanguine. Vocatur autem verbum Dei. Sicut autem ea victoria non nisi multo fuso sanguine paranda, qui sanguis non iam verbi Dei sanguis est, sed hostium; sic nec impiorum sanguis est spiritaliter intelligendus.

Sed contra quidam sic inferunt; cum exercitus ille cælestis esse dicatur, nihil esse, quod eum carnali modo intelligamus. Ego vero sic respondeo: minime carnalem exercitum intelligendum; sed spiritalem: vtpote cui Christus Dominus imperat, quem amplius secundum carnem non agnoscimus: cui spiritus cælestes militant: & qui in terris adhuc versantur, qui iam in Spiritus regeniti, spiritales homines appellantur, vt & hic cælestes; ad hostium discrimen, qui sunt toti e terra, germina veteris illius serpentis: quorum ad lanienam illi euocantur, & quorum sanguis ad frenos equorum exundaturus prædicitur. Concludam igitur pios reges ac principes iamiam ad propinquam expeditionem imperatore Christo accingere se debere, & vndique coniurare; quo victoriæ Christi velint esse triũphique de hostibus eius participes.

Sed instant, Ecclesiam perpetuæ subiectam esse

esse cruci, negãtque meliora tempora præteritis expectanda; & ego quidem vnà cum illis affirmo, Ecclesiæ datum, vt in hac veluti diuinę disciplinæ schola adolescere: imo ne in peccatis suis suauiter obdormisceret. Et idcirco inseparabilem crucem, ceu comitem, adiunctam fuisse, & quasi verbera alligata dorso. Sed hoc insuper adiicio; permittendam Domino liberam Ecclesiæ suæ administrationem: qui cum meliora tempora promittat per verbum; non esse ea infidelitate nostra remouenda, sed fide potius maturãda. Quin potius, sic ausim affirmare; si prisca Ecclesia in puritate fidei & disciplinę perstitisset, quæ sub Constantino oblata fuerat felicitas; diuturniorem futurã fuisse, & quo minꝰ fuerit, eiꝰ esse culpa factum. Sed cum Episcoporũ ambitione sursũ deorsumve ferri cœpissent omnia, & religio fœde dilacerata in studia partium abiisset, tum sicut, prædictum diximus huius prophetiæ initio, variis verberibus Ecclesiã suã castigare, merito diuinæ iustitię visũ est. Permisit n. Dominꝰ ipsis Episcoporũ humeris importari in Ecclesiã Romanũ Episcopum: sed qui paulo post in thronũ Christi inuasit, & Ecclesiã Orientalẽ permisit Mahometi, & Sarracenis ac Turcis, ceu singularibus illis apris suffodiendam. Quod si tot nostris malis eruditi, tantam verbi Dei lucem & fidei sinceritatem, quanta maior effulgere non potest, aduersus hominum curiosita-

tem muniemus;& beato, inquam, ordine Ecclesiam circumuallabimus ad pacem internã, & morum emendationẽ;sic habere nos oportet, hanc Ecclesiæ beatitatem tamdiu duraturam esse, quamdiu nostra perdurabit obedientia.

Sed & pernego crucem, & ab Antichristo persecutionem, notam esse Ecclesiæ propriã. Sæpe etenim velut halcyonia largitur ei Dominus etiam quasi in media tempestatum bruma:quamuis confitear illas inducias continuitatem discriminasse potius, quam perpetuitatem sustulisse. Et nostris sane tantis in calamitatibus,quas ab annis sexaginta ab Antichristo passa est Ecclesia; est tamen ꝙ Domino Christoque eius gratias agamus, qui Ecclesiæ persequendæ fines, sicut promiserat cap. 12. præscripsit Antichristo: quique Septentrionales, & iam Germanicas, Helueticas, Rheticasq; Ecclesias totidem fere annorum pace beauit.

Quidni igitur e tãta Christi victoria, quam sibi despondit, extincto Antichristo, non cõfidamus compedibus verbi Dei, luciſque euãgelicæ alligatum iri Sathanam, nec in longum tempus Ecclesiæ pacem turbaturum? Vnum restat, vt pii reges ac principes cognita Domini Deique sui voluntate, cui vt pareant, ob id vnum sunt Ecclesię suscitati velut tutelares; eius pacem domi foriſque tueantur, & vno velut spiritu, & cõmuni impetu, Christo duce, Antichri-

christi regnum adoriãtur. Sic enim eos Dominus exhortatur: Reddite ei duplũ, pro eo quod misçuit vobis: & vt bibendum vobis exhibuit; iam nunc refundite illi cum ipsis fæcibus iræ Dei poculum. Sic enim eos existimare oportet, Dominum Deumque nostrũ operis ipsos pulcherrimi, quod quidem ab orbe condito hominum ministerio gestum vnquam est, architectos constituisse: vt vnum illud excipiam, quô per Mosen Dominus Ecclesiam suam ab Ægypti seruitute potenti illo brachio, & extẽta manu liberauit, suumque in mediis desertis populum condidit. Sed nec cõtemtior hostis est Dei Antichristus, quã Pharao: nec minores illius, quam huius vires sunt. Sed & quãtæ Dei gloriæ fuerit, principes eum ordinem inter ipsos instituisse, cuius velut pædagogia, salua sit Ecclesiæ fides: & quæ pietatis virtutisque custos futura sit; ipsis inuigilantibus, vt ne quà Sathan in Ecclesiam subeat, & virulentiæ suæ semina spargat; aut si qua forte sparserit: statim (vt ita dicam) auerruncentur: ac omnem inter se tollant bellorum discordiarũque materiam, & si quid ortum erit, vno velut omniũ concursu præfocent. Ita fuerit Ecclesiæ beata diuturnaque pax: vt Europâ pacata, mature cogitandum restet de bello Turcis inferendo, deque Orientali Ecclesia liberanda. Quod cũ ipsorum cõfœderationis beneficio Dominus efficere velit: tanto alacrius animos eius volũ-

tati obsequentes par est præstare, & suas quoque volũtates eius promptas ordinationi subiicere. Hanc enim tantam promittit Dominus Ecclesiæ felicitatem, Apocalypseos capite 20.

Apoc.20.

» Vidi (inquit Ioannes) Angelum de cælo descẽ-
» dentem, atque tenentem clauem abyssi, lon-
» gamque cathenam in manu: Is cepit draconẽ illum, veterem serpentem, qui est Diabolus & Sathanas: eum ligauit annis mille, ac intrusit in abyssum, conclusit, obstruxit, atque obsignauit: donec mille anni compleantur. Deinde oportet solui ad exiguum tempus.

Quibus verbis felicitas tanta promittitur Ecclesiæ Dei, quanta nunquam fuerit: & quã velut typum mentibus nostris obiicit futuræ resurrectionis æternæque vitæ. Nec enim Iudaicum Christi Domini regnum Chiliastarum sensu, nobis est imaginandum: sed tanta tamq; diuturna Ecclesiæ, adhuc in terris militantis, pax atque beatitas promittitur; cui par nulla vnquam obtigerit, & quæ e tantis calamitatibus quibus vndique premitur, beatæ potius æternęque vitæ venire debeat in comparationem, quam cum vlla priori ætate. Nam quod ad ipsam felicitatis diuturnitatem, quæ mille annorũ spatio definitur; minime mihi dubiũ; quin diuturnæ tantæ felicitatis possessio promittatur. Sed spatiũ temporis, præcise, & præfracte nimis ad ipsum calculũ subducere, hominum mihi videtur esse parum considerate oracu-

oraculorum Dei, prophetiarumque naturam attendentium. Ergo quod initio monuimus Danielis exemplo, ab ipsa curiositate mētis oculos auertamus; & vni Domino temporum & momentorum scientiam permittamus; quā si filius Dei ab humanitate sua, vt eius nō propriam remouit; quis iam docuerit? Sequamur igitur grauissimam eius admonitionem, qui discipulorum curiositatem compescens, de se ipsos cogitare potius iubet: Attendite, inquit, vobis ipsis. *Math. 25.*

Quà & eadem sobrietate intelligēda puto, quæ de prima resurrectione eorū, qui ob martyrium Iesu Christi capite truncati sunt, quod noluerunt adorare Belluam, nec eius imaginē, neque sumere characterem eius in frontibus suis, manibusve suis; quos ait cum Christo victuros atque regnaturos annos mille. Quibus verbis, quod bonorum omnium pace dictum sit, promittitur Ecclesiæ in ipso terræ luto iacenti, & velut animam ægre trahēti, noua beataque vitæ restauratio: quæ cum priore statu comparata; nonne beatæ resurrectioni similior videatur; præ pristina conditione? Quod ipsa verba testantur, si diligentius ea attenderimus. Nec enim omnibus qui pro fide Christi occubuerunt aliquando, hæc resurrectio promittitur: sed iis qui non adorarunt Belluā, neque eius imaginem, neque sumserint eius characterem. Atqui constat Antichristum tē-

pore, quo dictum est, Episcoporum velut humeris ipsorum ambitione: sed iusto Dei iudicio peccata nostra punientis, inuectum esse: & eius imaginem, hoc est, Cardinalium collegiũ aliquanto post tempore inductã; & characterẽ sacerdotii eius atque clericatus, a dinundinatione Papali; atque septiformi suo Chrismate ortum habuisse. Concludam igitur primæ resurrectionis nomine intelligi hoc loco, beatã Ecclesiæ constitutionem, ex horrẽdis, & plusquam Ægyptiis tenebris papatus, emergentis in admirabilem lucem, magna Ecclesiæ lætitia beataque status Christiani felicitate, imperatore Iesu Christo Domino, moderante, & rerũ habenas gubernãte regum piorũ principumque senatu. Nam qui vitam sanguinemque suũ martyrio Christi Domini, fideique suæ consecrarint; sicut martyres Christi perpetuo Ecclesiæ more dicti sunt; ita & hic nũcupari: quibus scilicet vitam in se Christus conseruauit ab Antichristi sæuitia, & eam maiore benedictione rursus velut in manus tradidit.

Huius igitur in tantæ gloriæ suæ societatem cum Dominus noster & seruator pios reges & principes dignetur ascisere, quid aliud restat, quam vt inuicto ac heroico plane animo accingant se ad expeditionem Domini, & eo vocante arma capiãt? Maledictus enim qui ignaue & fraudulẽter opus Domini exequitur. Est enim illis etiam atque etiam cauendum, ne si

verbo

verbo Spirituque Dei vocati, varias tergiuersationis causas nexuerint, tãto se honore indignos profiteantur: & irritatus Dominus in eorum vel infidelitatis, vel ingrati animi retributionem; illis reiectis ac grauiter mulctatis, ad potiores tantam laudem gloriamque transferat, vel e puluere, atque velut stercore suscitatos. Hanc Ecclesiæ liberandæ, & beato ordine componendæ rationem, voluntati suæ atque potentiæ subseruire Dominus voluit: vt sicut necesse est Antichristum ruere, & ab eius tyrãnide Ecclesiam liberari; necesse quoque sit id fieri principum manu operaque, quia ita ipsi visum est. Viam ergo sponte sua summaque alacritate pandant decreto Domini, & vno cõsensu, velut manu data, parique gradu, occurrant vltro venienti. Verendum enim illis, ne dũ subterfugiunt, nihil aliud assequantur, quam vt quod Israelitis in deserto, accidat, ipsis reiectis, hanc operam ad potiores transferat, vel potius accidat quod de illis, qui venienti Christo Ierusalem, & speciem regni sui exhibenti, ad Scribas dixit: Si hi tacuerint, lapides loquẽtur. Meminerint quantæ fraudi Ionæ prophetæ fuerit subterfugisse Domini vocationem, & tamen suo damno paulo post eodem fuisse recurrendũ. Impendet, inquit Paulus, mihi prædicandi Euangelii necessitas: Veh autem mihi nisi sponte mea fecero.

Piorum igitur Regũ & principum magni-

tudinis est animi atque pietatis, tantum Christi Domini mandatum, ipsi tantopere gloriosum, Ecclesiæ salutare, sibi, suæque posteritati ad omnem laudem atque decus honestissimũ, alacritate summa atque omni contentione capessere; vt eam inter se, præside Christo, confœderationem instituant: cuius potẽtiâ Antichristi regnum euertatur: cuius sapientiâ is instituatur Ecclesiæ ordo, quo aduersus hæreses & hominum curiositatem fides muniri possit, & disciplina ex verbo Dei restituta, ad morum integritatem conseruari. Atque vt intelligant, quanti ipsos operis Dominus architectos ordinarit, sic habere oportet: cum Dominus daturum se promittat eis cor vnũ, vnamque voluntatem, obeundæ suæ volũtatis; beatam vero atque diuturnam promittat Ecclesiæ pacẽ atque felicitatem: Dominũ quoque ipsos pulcherrimæ eos ædificationis præfectos constituisse: vt inter se pacem colant, & si quid vspiã inter ipsos exoriatur dissidii; qualia animo prẽuidere complura, non est magnæ prudentiæ: de eius sacrosancti Concilii sentẽtia præfocetur: priusquã foras se proferat: tum vt ne quid hostes Ecclesiæ audeant: & si forte audebunt: adsint terra marique parata præsidia, quibus nequid turbetur, coerceantur: & pax communis, publico bono, tantæ potentię terrore sanciatur.

Hæc si summa Domini Deique nostri miseri-

cor-

ricordia, de publici ſtatique regum piorum, & principum concilii auctoritate obtingent; iam vere incredibili bonorum omnium lætitia impletum videbimus, quod velut typice, aliquãdo implendum Propheta diuino Spiritu præcinebat, & Deo gratias agebat. Aquæ murmurent, & lutum deſpument ſuum, atque ſublatis vndis turgeant; erunt veluti riui e flumine deriuati, qui ciuitatem Dei lætificabũt, illo inhabitante ſanctam. Deus enim eius in medio cõmorabitur: quo fiet, vt amplius non commoueatur. Nam Deus ab ipſo ortu, auroraque accurret eius in auxilium. Venite igitur, & contẽplamini geſta Domini; qui pro eo quod poſuerat vaſtitatẽ & ſolitudinẽ in terra; iam cõpeſcuit prœlia, vſque ad extremos orbis fines: confregit arcus, lanceas comminuit, & cremauit igne falcatos currus. Quæ tanta bona, cum non vane promiſſa, nec vllâ priori Eccleſiæ ætate perfecte adhuc impleta ſint; huius confœderationis beneficio, deinceps expectanda nobis ſunt.

Quod tam glorioſum, tamque diuinum opus, ſi quod procul abeſt ab eorum pietate, neque Dei gloriæ, neque Eccleſiæ, neque ſuæ ſalutis cauſa ſuſcipere vellent: at poſteritatis ſuæ bono deceret ſummo ſtudio complecti: quam relinquerent tantorum hæredem bonorum. Cõſiderẽt ipſi ſi imperatoria maieſtas ad Germanos a Papis (vt videri volunt) translata; vt eã

vim ab Italia Romaque procul ablegarent, ne quid ipsis officeret Italiam appetẽtibus. Quãquam iidem ipsi Papæ, scelerati patres, ne posset illa increscere, cõtinentibus pene bellis ciuilibus velut neruos succiderunt, & postremô per Episcopos, cõpedes ei iniecerunt. Sed tamen, inquã, si maiestas imperatoria Germanis principibus magno fuit ornamento, & ad res agendas adiumento; quo grassantes late Hunnos, Henetos, ipsosque Bauaros compescerẽt, & pacem publicã tuerentur; quid de tot piorũ regũ atque principũ sacrosancto Concilio, fas est animis præsumere: quod Deus Spiritu suo sancto cõgregauerit, atque in Ecclesiam induxerit, quodque suæ gloriæ, & eius saluti, atque beatitudini consecrarit?

Neque vero magno in eam rẽ sumtu, multaque molitione opus est: det modo Dominus hanc mentẽ, sicut Ecclesiæ promittit, eam ipsi a se ne sua cunctatione tarditateve repellãt, ineant auspice Christo Domino hanc inter ipsos confœderationẽ, is cætera solus nullo magnopere sumtu, nullo periculo effecta reddet. Mãdata.n. Domini, facultas & euentus sponte sua consequuntur: & quæ vidẽtur impossibilia, vltro se nobis ad eius opus accingẽtib. offerunt: vt principiũ plus sit dimidio. Se.n. remoras omnes de via voluntatis suæ obeundæ sublaturũ a pedibus eorũ promittit. Meum est, inquit, argentũ, aurũ meum est. Quid, quod ipsa sola con-

confœderationis huius mentione dissipabunt Antichristianorum principum aduersus ipsos Ecclesiamque tot iam annos initam coniurationem? Quomodo enim vel solum nomen eius possit sustinere? Nam Regem Galliæ ita afflixit ista Papalis cõiuratio; vt in multos annos vix bona pace queat exurgere, & id regnũ multa iam ex parte, id est, quantitatis æstimatione nostrum est, atque suis artibus Papa prudentissimi Regis bonotumque animos abalienauit. Porro Hispano quantum virium ademtũ hac a Domino classis ei⁹ velut internecione? & insuper ei impendẽt, expetẽte Domino tot bellorum, quæ solus Europâ totâ commouit & aluit, iusta supplicia: & tot res eum circumuallare videntur; è quibus explicare se nunquam possit. Quid, quod ne suas quidem copias, vel comparare, vel instruere possit, nisi operâ copiisque nostris? A nobis enim plurimus eius equitatus, peditatus, naues & instrumentũ, cum ipsis belli munitionibus, nauticum. Succîdant illi pii principes, piæque Respublicæ, a se belli subsidia (quod quidem illis est vel nutu perfacile) iacêre totam coniurationem necesse est. Contra vero quãta sit eorum principum, tum mari, tum terrâ copiarum parandarũ facultas ipse dicerem; nisi iamdiu a piis & rerum maiore vsu peritis viris, quãtum audio, esset enumeratũ. Itaq; totã rẽ ipsis principib. tacita memoriæ subductione cogitãdam relinquam.

Hoc vnum cõfidenter dixero; si fas esset arbitrari tantæ pietatis principes grauatum iri, tantarum opum, quibus eos Dominus cumulauit, non nullam portiunculam in huius confœderationis & expeditionis sumtus, pro sua quemque virili conferre; ipsas Ecclesias alacriter quantum abundabunt, & opus erit, collaturas; si modo quãta res agatur, & ipsorũ principum auctoritate, & per pastores commodos scriptis & prædicatione declarabitur. Si enim subleuandæ famis causa, quæ Claudio imperãte vexabat Ecclesias per Iudæam, eæ quæ e gẽtibus erant per Asiam & Græciam, quantum opus erat liberalissime conferebant; quid erit nobis diffidendum de Ecclesiarum beneficentia atque subuentione, communis a se periculi propulsandi causa, & tantæ felicitatis promouendæ; quantam ne per somnium quidẽ optare quisquam posset? Huius igitur tanti periculi deuitandi causa, quod moliuntur hostes; quib. erat in animo Ecclesiam per Europam extinguere, & regna excindere, ecquam putemus Ecclesiam, quantum opibus valebit, ad communem salutem non collaturam libenter? Atqui Antichristus totius Europæ monarchiam Hispano detulerat: eandemque ille hoc toto quadriennio sperabat se adepturũ. Nam aperte bulla sua sereniſſimam Angliæ Reginam regno spoliauerat, & ad Hispani arbitrium transtulerat: de cuius expeditionis euentu nihil dubita-

bitabat. Duobus autem tantis exercitibus terra marique incumbentibus: paucis mensibus in suam potestatem redacturum se confidebat Galliam: quam ipsam bona ex parte per Guisianam factionem, suam iam esse videbat: vt reliquam partem, ab Anglia translato ad eã bello, suis armis facile cessuram confideret. Germania supererat vna, ad quam potiẽdam invitabat paternum imperium, & regna ditionesque distractæ: quarum pleræque, eæque validæ, papisticam superstitionem adhuc sequuntur. Cæteræ vero minus vnitæ, vel potius studiis alienatæ: & intelligebat quib. artibus Carolus v. Imperator, eam ad aliquod tempus sibi parere coegisset, iisdem patere sibi aditum ad imperium occupandũ. Quo occupato, quẽ tandem fore cæterorũ regum qui auderet obsistere? Quod nisi propitius Dominus coniurationis istius Babylonicæ consilia dissipasset, & vires profligasset: quo tandem iam in metu terroreque principes, Ecclesiæque tota Europa versarentur? Atqui sic existimare nos oportet, non esse hostibus ablatam voluntatem: facultatem vero non tam sublatam, quã in aliquot annos, nisi incumbent totis viribus inclinato hosti, dilatam. Atqui ista piorũ principum confœderatio, mandato imperioque Dei instituta, cum non modo omni Ecclesiã principesque metu liberet, sed beatissimam pacem in id omne, quod mundo superest

æui,afferat;ecquam Eccleſiam credamus, ſuas opes copiaſque recuſaturam?

Si ad Tabernaculi cõſtructionem populus Iſrael tanta contentione piaque æmulatione, certatim quod opus erat,conferebat:vt Moſes per caſtra iuſſerit proclamari; Iam deſinerent: ſat & abunde ſuppetere ad omne diuini cultus inſtrumentum; ſic equidem in animum induco meum,de Eccleſiarum pietate,quam ſe vocatione quadam miniſterii extraordinaria, & vberiore donorum ſpiritalium copia excitaturum Dominus promittit; non defuturam ſuæ de Antichriſti ſeruitute liberationi, neq; beatæ a Domino conſtitutioni,ipſius Eccleſię benignitatem. Quod ſi apud aliquas gentes, ſed Polonos maxime, mos hic ab aliquot ſeculis obtinet, vt aduerſus Moſcouitas, Tartaros,& Turcas in Barbarico tumultu ſalutis communis cauſa, ſinguli quod poſſunt; &, vt ait ſcriptura,quod ad manum in promptuque habẽt, certatim conferant;vt a rerum collatarum copia,*Mons charitatis* vocetur; cũ nec minus immanis ſit Antichriſtus,quam truces illi hoſtes: eoq; immanior, quo animæ, ſub Sathanæ dominatu,crudelior eſt ſeruitus, quam corporis ſub Barbaris: cũque tam glorioſa libertas nobis liberiſque noſtris promittatur a Domino; quidni cõfidamus eodem maioreque etiã ſtudio Eccleſiam Europa tota ſuarũ iniuriarũ tot

iam

iam ſecula ab Antichriſto perpeſſarũ memorẽ, & beatiſſimæ pacis a Domino expectatione ex ipſius verbo, ſuas, pro ſua, quæ cuiq; aderit copia, facultates abunde collaturam?

Quod igitur in ſcriptura ſacra ab rege Dauide, principibus, & vniuerſo Iſraele ad templi conſtructionẽ factũ legimus; dum ſuã quiſque liberalitatem Domino conſecrauit; idem vniuerſis eſſe nobis propoſitum putemus; cum ad imitationem, tum ad bonam illius imitationis fiduciã: ſi præſertim pii reges & principes Dauidem imitabũtur: qui primum exemplo ſuo, reliquorumque principum, totius Synagogæ cõgregationiſque Domini ſtudium excitauit. Quo factum, vt omnes ſingulari alacritate vltroneaque voluntate, ſe, & quæcunque ad manum ſuppeterent, Domino vouerẽt. Qua pietate motus rex in hanc erupit apud Dominum gratiarum actionem: O Domine Deus patris « noſtri Iſraelis, benedictus es in ſempiterna ſe- « cula! Tuæ ſunt opes, & honores tui, tuũ & im- « perium. Quamobrem nunc ô Domine, gratias « quãtas poſſumus maximas agimus tibi, ac no- « men tuum illud nobile concelebramus! Quis « enim ego ſum, & quis eſt populus meus, vt poſ- « ſimus ſpõte noſtra offerre talia? Sunt enim a te « omnia, quæ largita nobis eſt tua dextera: quæ « & de tua manu dicamus tibi. O Domine Deus « noſter, ſatis equidem perſpicio te probare ho- « minum corda, & eorum integritate lætari. Ob- «

„ tuli tibi corde syncero ista omnia sponte mea;
„ vidique populum tuum, qui huc conuenit, vl-
„ tro lætoque animo offerre ista. Conserua Do-
„ mine Deus patrum nostrorum, hunc piæ vo-
„ luntatis affectū in corde populi tui perpetuū,
„ & eius corda ad te dispone. Hanc Dauidis regis principumque Israelis pietatem, si reges nostri, si principes imitabūtur, seque præbuerint in exēplum; magna sui æmulatione per Christianas gentes; Ecclesiarum studia excitabunt, pia quadam æmulatione: vt sicut pietate præstare præclarum est; nitantur & pietatis beneficentia: vt omnes tanto benignitatis atque liberalitatis nomine easdem gratias cum Dauide agamus Domino. Cum autem tantū studiū extiterit Dauidi regi in ædificationem templi, quod leuior quidem Ecclesiæ, futurorumque eius bonorum typus fuit; vt præter aurum & argentum, & æs quod in eam rem e suis manubiis Domino consecrarat, insuper tria talentū auri millia, & septem argenti depuratissimi, velut in cumulū superiecerit; Ecquis esset pudor principibus nostris e tantis thesauris, quibus ipsas turres narrant, præ auri argentique pondere altius in terram depressas; ne minimum quidem teruncium tantopere laborāti Ecclesiæ velle commodare? Ecquid autem eos tanta cura atque solicitudine asseruare dicamus? An dum cū ipsis turribus in abyssum opes demergantur? Quod si quæ harum cumulandarum

opum

opum vel patribus eorum, vel ipsis causa fuerit, considerabimus; num eam potissimum inueniemus; quod earum præsidio suos status aduersus Antichristi eiusque satellitii principes munire voluerunt, quos videbant inhiare sibi? Atqui vel minima earum erogatione, atque contributione, quot quantaque bona promittit Dominus? liberationem beatissimā ab Antichristi machinationibus, pacemque in summa gloria securissimam, optatissimam de hostibus ipsorum vltionem, Ecclesiæ glorioſissimam constitutionem, tantam denique potentiam, quanta extincto Antichristi regno abūde sit Turcæ compescendo, vel eius etiam imperio profligando, nec non Persico, atque Sarraceno ad Ecclesiarum toto Oriente, meridieve reparationem.

Quamobrē cum in Ecclesiis Gallicanis & Belgicis vniuersam videant laborare Ecclesiā, & in sereniſſimo fortiſſimoque Nauarrę rege suum omnium verti statum; quid iam diutius expectent? Anne vt illis euersis ad ipsos perueniatur? Quod omen propitius ab illis auertat: sicut & faciet Dominus. Sed si id accideret næ sero suæ saluti consulerent ipso Domino iure persequente: quod nescio qua causatione, laborantem se atque in illis Ecclesiis periclitantem deseruissent. Tum eædem, quibus comparcimus opes, hostibus ad inuadēdum maiores animos facerent. Ecclesiis vero Regeque

Nauarræ seruato; firmissimam molẽ aduersus Antichristi, quoseuomit torrentes oppositam vidét. Itaque meminerint Persei opes Romanis maiorem eius inuadendi libidinem auxisse: quarum tamen particulam si in Gentii Illyrici regis confirmationem, & Basternarum stipendium erogare voluisset, & bellum aliô traducere; & suum regnũ suasque, quibus parcebat, opes seruare potuisset.

Quam piorum principũ cũctationẽ expergefacere deberet vehemẽs istud Antichristianæ coniurationis studium, quæ ad inclinatæ tyrannidis stabiliendam ruinam, suas opes terra marique velut humeros supponere non dubitauit etiam cum vitæ discrimine. Quos enim sumtus fecisse putemus Hispanum in suis istis binis copiis comparandis atque tuendis? Tantam certe pecuniæ copiam effudit, vt cum omnem superet æstimationem; verear ne superet & fidem. Nam Regem Galliæ eo furor papisticæ Liguæ abripuerat, vt videns, sciens, & volens se suumque regnũ in summũ discrimen adduxerit, & religionis simulatione; ambitiosos principes eô euexerit; quibus iam seruire necesse fuisset, nisi virtutẽ eius Dominus Deus noster, magna Ecclesiæ ipsiusque felicitate, in ipso rerum cardine suscitasset. Et pii reges & principes vincenti Christo, & ad partem glorię eos vocanti, pro sua Ecclesięque salute, pro eius beatissimo statu, pro refundẽdo meretricis

eis Romanæ in sinum, iræ Dei poculo, quod illis propinandũ tot annos exhibuit: quib⁹ redundãt opes cõferre grauabuntur? Si Hẽricum VIII. potentissimũ Angliæ regẽ nõ piguit in Clemẽtis VII. liberationẽ exarce sancti Angeli Vaticana, qua cõclusus ab exercitu Borbonio tenebatur, sicut boni tradunt historici scriptores, & puer iam audiebamus; o. Angelicũm nummum millia menstrua pẽdere in exercitus stipendiũ, cui Lautrecus præfuit, pro sua virili: Si principes Itali cõmunis pacis aduersus Gallos tuendæ causa, per aliquot annos iustũ exercitũ alere nihil dubitarunt, nostri ne principes minus pii in Deũ, religionẽq. suam, atq. Ecclesiã fuerint; quæ omnes omnium charitates cõtinet, quam illi in patriam fuerunt; præsertim cum Ecclesia patriam suam cuiusq. complectatur?

Sed certe meliora nos de eorũ pietate expectare Dei promissa iubent. Nec a patrib. suis summa pietate, pariq. animi magnitudine viris degeneraturos: qui si tum cum propter peccata nostra offensus Dominus, voluit Antichristũ sanctos vincere: sed quo eũ prosperis reb. magis insolescentẽ atq. superbientẽ grauiore casu postea præcipitẽ daret; nihilominus illi viri furẽti Antichristo & omni immanitate in Ecclesiã inuecto, vt eã deuoraret: non veriti sunt sua ipsorũ corpora, statusq. suos opponere: Heroas illos dico,

qui pro Ecclesię salute, & Germaniæ libertate aduersꝰ Carolū v. Europę pene Monarchā, suūq. imperatorē arma capere nō dubitarunt: Ioannē, inq̄, Fredericū Electorē, Saxoniæ Ducē, summa pietate & constantia principē, Philippū Hassiæ Lantgrauiū, fortissimū inuictissimūq. Christi militē, cæterosq. principes illustrissimos imperiiq. status, qui omnes pene pro veritatis propugnatione, Ecclesiæq. salute nullum vitæ, capitis, statuumq. suorū amittendorum periculum recusarunt: qui si reuiuiscerent: quid de sua progenie dicerent, sibi ipsorū cūctatione viderēt ab iis, quos nominis, pietatis, bonorūq. suorū successores reliquerunt; Ecclesiæ salutē Antichristo prodi, & tot principes regēq. Nauarrę fortissime in acie versantes atq. depugnātes deseri: præsertim cū non modo capiendis armis, sed solo auxilii, confœderationisq. suæ oblato terrore, cōmunes hostes disiicere possint, & propellere, & ab eorū manibus arma excutere? Verū meliora de eorū pietate sperare iubent clarissima Dei promissa. Affirmat .n. Angelus Ioanni daturū Dominū regibus, & principibus, q antea potestatē vimq. suā tradidissēt Bestiæ: vice versa persequendæ illius causa habere eos vnū, vnāq. voluntatem: vt eam bello persequātur, vt igne cremēt & reliquias disperdāt atq. cōsumāt. Quod quia adhuc

factum

factum non est, peccata nostra meruerũt: & eorum criminationibus factũ; qui suis vt odiis obsequãtur, vnitatẽ Ecclesiæ, quæ summa est, continuis falsisq. calũniis dilacerant, & principes ab amplectenda cõmuni causa, quantũ possunt, retrahunt. Verũtamen de his criminationib. atq, dissidiis, quæ a doctis orta atq. instigata, Ecclesiã Dei prẽter omnẽ rationem vexãt, paulo post dicemus: in prẽsentia sat fuerit dixisse, cũ res ipsa & experiẽtia doceat, hoc tẽpus immittendæ in principes voluntatis vnius iã adesse; veritate euangelica patefacta, & mysterio iniquitatis manifestato, & vna Ecclesiarum cõfessione celebrata fide, etiã in eo capite, de quo dissentire videretur; vnũ superesse, vt pii reges & principes omni ex animis euulso auctoritatis humanæ præiudicio, rem ipsam expendant, & placide voluntati Dei suam voluntatem, vt subiiciant, & vltro submittãt.

Quod cũ Dei gloriæ Ecclesiæque salutis causa, a qua ipsorũ salus seiungi non potest, facturos confido, tũ quod bene singulis exequẽdæ Dei voluntatis peculiaris, & velut præcipua causa est: Serenissimæ Angliæ Reginæ, quia principẽ eã suscitauit & corroborauit Dominus, quæ omnẽ Antichristianæ impietatis impetũ nõ recusaret in se suscipere: & quod videt Antichristi furorẽ eò progressũ audaciæ, vt bulla exauthorare sit

ausus regno & subditos iureiurando liberare, regnúq. ad quẽ libêret transferre: vt núc cũ Dominus Deus noster, qui solus regum præses, eos in soliis collocat, & cũ videtur, detrahit, vice versa, hac tanta, quã est a Domino cõsecuta victoria, ipsũ Hispanũ in regnorũ suorũ discrimẽ adduxerit; Iã nõ possit, inquam, seremiss. Regina vel suæ iniuriæ persequendæ caussa, vel suæ securitatis, victoriã Domini non persequi, trepidanti atque nutanti hosti non insistere: ne quã det ei sua cunctatione reparandarum viriũ resumendique animi facultatem. Quo certe multo vehementiꝰ neruosiusq. facient adiũctis ad cõmunem causã piis regib. atq. principibus: vt de gradu deiectũ hostẽ, vniuersi vno velut impellant impetu; quã propriis viribus, quantæcunque tandem videantur.

Vidét & Germani principes quãta sit imperii quondã florentissimi imbecillitas. Reuocent itaque in memoriã, quã miserabilis Germaniæ status fuerit per annos amplius sexcentos, quib. Germania barbararũ Gentium velut amphitheatrum fuit: in quo omni bellico furore, & vastatione depugnarunt atque digladiatæ sunt. At idem tẽpus comminatur Dominus, cũm ait, has barbaras gentes suis copiis, vt cicadas, oppleturas superficiem terræ: simulque rationẽ commonstrat, tantæ vastitatis euitandæ. Et

est ve-

est vero æquissimum, cõmunis religionis, salutisq. causã, a Christianis Principibus cõmuniter defendi. Ergo dũ vacat, & tã pulcrã occasionem prębet Dominus omniũ Christianorum opũ viriumq. in communis salutis propugnationem coniungendarum; sicut propiores sunt periculo: principes se quoque præbeant inuictę cęterorũ confœderationi: & suum, quod impendet a circumfusis barbaris periculum, cõmunibus omniũ armis a suis ceruicib. propulsẽt. Habent & cæteri pii reges causam præcipuam huius sacri fœderis solicitãdi atque promouendi: vel ad suos status aduersus Antichristianam coniurationem, quæ illis inhiat, & labefactare non cessat, stabiliendos: vel, vt sua quandoque iura, regnaque spe præsumta, citra bellorum tumultum, de communi tot principum sententia, iudicioque consequantur.

Sed ad Principes Germanos, atq. adeo omnes ad quos idem discrimen pertinet, ex æquo orationem conuertam: quos sic habere oportet: Dominum Deum nostrum hãc istã vnicã videri rationẽ pręfiniisse Turcarũ, Sarracenorũ, atq. Tartarorũ ab Ecclesia Christianisq. finib. auertendorũ, atq. etiã excindendorum. Nã cum piorũ principum confœderatione, Antichristi regno euerso, pax Ecclesiæ sub eorum præsidio du-

ctuque promittatur, in quot secula ad rerum consummationem supersunt: si modo ipsi vno consensu eius voluntatẽ obire parati sunt: promittitur etiam eiusdem cõfœderationis opera iisdem principibus rerum habenas moderantibus, earum gentiũ excidium Apocalipseos 20. capite. Soluendus enim Satanas prædicitur e diuinæ ordinationis vinculis, quibus constrictus tenebitur, & quocumque terrarum circumcursurus: vt e quatuor terræ finibus Gog & Magog congreget in prælium: quorum copiæ ea multitudine futuræ prædicuntur, qua maris arenæ. Ecqui autem isti sint Gog & Magog, nisi iidem illi populi Mahometæ impietatem professi, infensique nominis Christiani, communisque fidei hostes? quos in Gottis, Herulis, Vandalis, Alanis, Hunnis, Tartaris, Turcis, & cæteris barbaris & immanibus Gentibus per aliquot secula immittente Domino perpessa Ecclesia: in eamdem pene barbariem degenerauit. Quæ eædem Gentes Borysthenis, Volgæ, Tanais, marisque Mediterranei claustris ægre coercentur: & velut frenos indignantur: aduersus quos piorum principum copias congregari & disciplina componi vult Dominus Deus noster, Christo Domino Imperatore. Et ascenderunt, inquit, in latitudinem terræ, & cinxerunt castra sanctorũ,

& ci-

& ciuitatẽ illam dilectam. Qui quod igne cælitus demisso conflagrandi dicuntur: nihilo secius piorum principum arma nõ excluduntur: quibus cum suam victoriam, vt cæteris Antichristianis præliis Christus Dominus communicaturus est. Nam cum aduersus has innumerabiles Turcarũ & Tartarorum copias castra ciuitatis sanctæ opponẽda dicantur: quæ & oppugnaturi sunt: oportebit & magnum quoque contra sanctorum exercitum comparatum esse: nec vna tantũ ex gente: sed ex tota ciuitate sancta: id est, Ecclesia Dei. Nec enim ciuitatẽ hanc intelligere oportet mœnibus & fossa circumductã: sed per omnes Europæ Gentes vnius Christi Domini legibus, & omnium rerum communione per eius Spiritum congregatam. Quæ tamen Ecclesiæ catholicæ arma castraque, quomodo multitudini pene totius terræ sustinendæ paria esse possent: nisi Christus Dominus, vt aduersus Gygantes quondã fecisse fabulantur: fulmen dexteræ suæ cælitus eiacularetur? Verum vt aduersus infideles populos depugnanti sibi, Dauid pia grataque memoria celebrat canticis cęlestem virtutem præsto fuisse sibi, quæ hostes terreret, & terga vertere cogeret, se persequente: ita & pie credendum præliante Domino aduersus impias Gentes, victoriæ persecutionem piis

principib⁹ permissurum: quo eos in triumphi sui partem cooptare possit. Sed ipsa victoria longinquior, seriorq. futura videtur. Itaque ad id reuertar, quod primum est.

Hac, quã diximus, inita piorum regum ac principum cõfœderatione a Domino sacrosancta, quã mox ab immani Antichristi seruitute Ecclesię liberatio cõsequetur. Sicut. n. immiserit Dominus in eorum corda, vt meretricẽ illã odio persequantur: ita spoliatam atq. denudatam omnibus opibus, atq. omni præsidio desolatam, igne cremabunt: vt sicut est vere, ita suum dæmonibus domicilium relinquatur. Nam Deus hanc illis indiderit voluntatẽ, vt faciant quod ipsi cõplacitum est, suamq. exequantur voluntatem. Quamobrẽ cum illud eos pto sua pietate summopere cupere, & votis omnibus exoptare necesse sit; necesse quoq. vt conspirent inter se: & vt firma stabilisque sit ista societas, statum solemneq. concilium constituant: quod publicæ tranquillitati inuigilet, vt Dei voluntatem, Ecclesiæ bono, & concordiæ tuẽdæ causa exequantur. Quod si effecerint tanta, quæ paulo ante commemorauimus bona omnia, Christus quoque Dominus illis Ecclesiæque effecta reddet: quicquid tandem moliatur Sathan, quicquid cum suæ imaginis Collegio, quicquid cũ Cõiuratis, suæq. perditioni deuotis principib⁹ machinetur Antichristus. Qua

Qua in re si quis tamen labor esset, si quis sumtus faciendus, siquod in eo versaretur periculum, quæ tamen nulla sunt propugnante Christo, & in acie velut prima præliante: ipsorum tamen pietatis & animi magnitudinis esset, nihil humani recusare, quod a Deo posset accidere, præ tantorum bonorum expectatione. Nam si maiores eorum per annos pene ducentos partim pio religionis propagandæ studio, partim minis & terriculamentis Antichristi perterriti, suis regnis ac ditionib⁹ relictis, quib. & æmulos, consanguineos suos, & vicinos infidos insidiari nō dubitabant: & id agere Antichristū intelligebant, vt eorum discessu, facilioribus, & sibi ad inuasionem aditus pateret: paruerunt tamen, neq. dubitarunt suorum statuū vitæq. discrimine illi patere, spe rei Christianæ amplificandæ: nullo tamen Dei verbo, mādato ve subnixi: & dubitabit hodie tātorū parentum pia posteritas, quā Christus Dominus e tam dira seruitute liberauit, quam tāta benignitate ab omnib. hostium insidiis, appetitionibus q. seruauit, quā tot bonis, opibus, honoribusque cumulauit; imperatore Christo, contra Antichristum pia arma, & sibi Ecclesiæque Dei salutaria capere: præsertim sumtu perexiguo, periculo nullo, summa cum publice toti Ecclesiæ, tum sibi singulatim rerum felicitate pro-

posita? & suas tot tãq. diuturnas iniurias, effuso in meretricis sacrilegæ sinum iræ Dei poculo, vicissim refundere?

Cui Dei voluntati si quo studio, quaq. pietate decet piireges ac principes parebũt: id nunc vere implebitur, quod per Esaiã promissum in Constantino, vtroq. Theodosio, & Gratiano Cęs. & tũ cœptũ impleri, hanc tantã Ecclesiæ beatitudinem præfigurauit. » Suges lac gentium, & lactebis mãmas Regi- » narũ, & erunt reges nutritii tui. Ecce appel- » labis gentẽ antea ignotã tibi, & gentes, quæ te nõ norunt, current adte, propter Dominũ Deũ tuum, & Sãctum Israelis, qui te glorificauit. Itẽ, Et minę mœnium tuorũ e laspide, & portæ tuæ erunt e carbunculo, & omnes terminitui ponẽtur super lapidib. pretiosis: Etiã omnes liberi tui erunt θεοδίδακτοι, & erit illis abundãtia pacis. Itẽ: Nã ecce tenebræ operient terrã, & obscuritas populos obteget: sed Dominus orietur tibi, & gloria eius in te videbitur. Gentes ambulabunt in lumine vultus tui, & reges in splẽdore Orientis tui. Surge Hierusalem, illuminare: Orta est lux tua, & gloria Domini illuxit tibi.

Cũ igitur promittat Dominus Deus noster se post Antichristi excidiũ, ruinas Ecclesiæ in augustissimũ maiestatis suæ tẽplum exædificaturum: quę procuratio piis regib. & principib. demãdata sit: quâ ego magis ap-

posi-

posite voce ad eos effari possim, quã quâper Haggæum prophetã, Zorababelẽ filiũ Salathiel, Ducẽ Iuda, Iosedec filium Iosuã affatũr Dominus exercituum? Sic autẽ ait; Dicit populus iste: Tẽpus nondum venit: Tẽpus, inquã, ædificãdi templi: Tẽpus ne vobis est inhabitãdi domos vestras, auratis laquearib. superbas, & domus mea deserta iacebit? Itaq. quod subiungit Propheta, quã parũ prospere res illis domesticæ successerint; id ego quidẽ ad illos vere referre non possũ; quos Dominus in mediis laborantis Ecclesiæ calamitatib. tot bonis cumulauit: vt ea Domini benedictio ad tãtę benignitatis recognitionẽ, tãto magis illos debeat excitare; vt qđ veteres Ethnici feciſſe solerẽt, qui decimas bonorũ suorũ Herculi vouerẽt ad nugas & epulas: id Christo Domino in rẽ Deotãtopere gloriosã, Ecclesię Dei salutarẽ, & sibi per honorificã, ne cõparcãt neve recusent. Verũ, vt dixi, illud potius cõmemorabo: vt mecũ superiorũ bellorũ graues casus, & quã infeliciter tũ ipsis, tũ Ecclesię cesserint eorũ fortissima cœpta, reuocẽt in memoriã. Qui quod præstãti pietate, inuicto q. animo furẽti Antichristo, & Ecclesiã impetẽti: suos status, & corpora sua pro eius salute obiicere nõ dubitarunt: grata apud Deũ memoria recordatur Ecclesia, & quã maximas, ꝓ illis multa deprecãs, gratias agit. Sed

posita? & suas tot tãq. diuturnas iniurias, effuso in meretricis sacrilegæ sinum iræ Dei poculo, vicissim refundere?

Cui Dei voluntati si quo studio, quaq. pietate decet pii reges ac principes parebũt: id nunc vere implebitur, quod per Esaiã promissum in Constantino, vtroq. Theodosio, & Gratiano Cęs. & tũ cœptũ impleri, hanc tantã Ecclesiæ beatitudinem præfigurauit. » Suges lac gentium, & lactebis mãmas Regi- » natũ, & erunt reges nutritii tui. Ecce appel- » labis gentẽ antea ignotã tibi, & gentes, quæ te nõ norunt, current ad te, propter Dominũ Deũ tuum, & Sãctum Israelis, qui te glorificauit. Itẽ, Et minę mœnium tuorũ e Iaspide, & portæ tuæ erunt e carbunculo, & omnes terminitui ponẽtur super lapidib. pretiosis: Etiã omnes liberi tui erunt θεοδίδακτοι, & erit illis abundãtia pacis. Itẽ: Nã ecce tenebræ operient terrã, & obscuritas populos obteget: sed Dominus orietur tibi, & gloria eius in te videbitur. Gentes ambulabunt in lumine vultus tui, & reges in splẽdore Orientis tui. Surge Hierusalem, illuminare: Orta est lux tua, & gloria Domini illuxit tibi.

Cũ igitur promittat Dominus Deus noster se post Antichristi excidiũ, ruinas Ecclesiæ in augustissimũ maiestatis suæ tẽplum exædificaturum: quę procuratio piis regib. & principib. demãdata sit: quâ ego magis ap-

posi-

posite voce ad eos effari possim, quã quâper Haggæum prophetã, Zorababelẽ filiũ Salathiel, Ducẽ Iuda, Iosedec filium Iosuã affatur Dominus exercituum? Sic autẽ ait; Dicit populus iste: Tẽpus nondum venit: Tẽpus, inquã, ædificãdi templi: Tẽpus ne vobis est inhabitãdi domos vestras, auratis laquearib. superbas, & domus mea deserta iacebit? Itaq. quod subiungit Propheta, quã parũ prospere res illis domesticæ successerint; id ego quidẽ ad illos vere referre non possũ; quos Dominus in mediis laborantis Ecclesiæ calamitatib. tot bonis cumulauit: vt ea Domini benedictio ad tãtę benignitatis recognitionẽ, tãto magis illos debeat excitare; vt qđ veteres Ethnici fecisse solerẽt, qui decimas bonorũ suorũ Herculi vouerẽt ad nugas & epulas: id Christo Domino in rẽ Deo tãto opere gloriosã, Ecclesię Dei salutarẽ, & sibi per honorificã, ne cõparcãt neve recusent. Verũ, vt dixi, illud potius cõmemorabo: vt mecũ superiorũ bellorũ graues casus, & quã infeliciter tũ ipsis, tũ Ecclesię cesserint eorũ fortissima cœpta, reuocẽtin memoriã. Qui quod præstãti pietate, inuicto q. animo furẽti Antichristo, & Ecclesiã impetẽti: suos status, & corpora sua pro eius salute obiicere nõ dubitarunt: grata apud Deũ memoria recordatur Ecclesia, & quã maximas, ꝓ illis multa deprecãs, gratias agit. Sed

quod eorum voto rerū ſucceſſus nō reſpō-
dit; hinc fuit nimirū, quod pri⁹ patefaciēd⁹
orbi erat Antichriſtus, & Electorum fides in
multa probāda fuit patiētia. Quapropter da-
tū illi fuiſſe dixit Angel⁹ vincere sāctos. Sed
eius victoriarū tum demum periodus cōſti-
tuta prędicitur: cum Deus, orbi patefacto,
regib. cor vnum & voluntatē vnā dederit in
Belluā cōiurādi. Quod dū facere cunctātur,
& in eos, q̄ periculo propiores ſunt, ipſorū
ſalutis curā reiiciūt; videant ne irā Domini
meritiſſimo proritēt, & illis quoq. exp̄bret:
En dom⁹ mea collapſa iacet, ſinguli domos
veſtras ſpectatis. Sic autē ait Dominus exer-
" cituū: Cogitate in cordib⁹ veſtris quales vię
" veſtræ ſunt, & quam parū feliciter ſuccedāt.

Sed cū inſpirante Domino & cōmutata in
melius volūtate, Zorobabel, Ioſuæ, & popu-
lus vniuerſus p̄ſpecto Dei mādato, & intelle-
cta Haggæi prophetę adhortatione, timuiſ-
ſent a facie Domini; Tū Haggæus legatus a
Domino, ſecundū eius mandatū ita locutus
eſt ad populū: Ecce vobiſcū ſum, ait Domi-
n⁹: & excitato Zorobabelis & Ioſuę totiusq.
populi ſtudio, accinxerunt ſe omnes ad ędi-
ficationē domus Domini exercituū: quorū
zelū ſi principes æmulabuntur; reliquū Dei
oraculum ſibi dictū putent. Quis veſtrū ſu-
perſtes domū hanc vidit in priſtina ſua glo-
ria? Sicut eā modo videtis; nunquid in nihi-
lum

lũ redacta iudicio veſtro videtur? Nũc igitur ô Zorobabel, tuq. ô Ioſue ſacerdos, bono eſtote animo: vosque ô populi terræ, eundẽ habetote animũ, ac fortiter operamini. Sũ .n. vobiſcum, dicit Dominus exercituum, ſecundum verbum, quod promiſi vobis, cũ egreſſi eſtis ex Ægypto: Spiritus meꝰ prẽſto erit in medio veſtrũ. Nolite timere, ait Dominus exercituum: Adhuc breue tempus: & cõmouebo cælum & terram, mare & aridam: cõmouebo & omnes gentes, & omnes venient ad rẽ illã deſideratam: atque implebo domum hanc gloria, dicit Dominus exercituum. Meum eſt argẽtum, & aurũ meum eſt. Gloria huius poſterioris domus maior erit, quam prioris. Dabo pacem huic loco, dicit Dominus exercituum.

Hãc Zorobabelis totiusq. ſynagogæ ſententiã in meliꝰ immutatã, ſi pii reges & principes, quos Deus pro ſua miſericordia exiſto ſeruitutis, ampliꝰ q̃ Ægyptiæ, luto liberauit, imitabuntur; & pro Eccleſiæ liberatione pium inter ſe fœdus inierint, in omnia quæ ſuperſunt ad beatũ Chriſti Dñi aduẽtum, tempora duraturum; certiſſima in animis ſuis fide ſic oportet habere, Dominũ, qui hanc eis voluntatẽ dederit, & eas res admirandas effecturũ eorũ opera, quas venturas vaticinatus eſt Angelus, & verbo ſuo per

ſpiritũ Domin⁹ De⁹ noſter obſignauit. Quin etiá publice priuatimq. ſe eorũ cœpta ſecũdaturũ, & ſua benedictione ꝓſecuturũ pollicetur. Cogitate, inquit, vobiſcum in cordib. veſtris ab iſto die retro, qui dies eſt 24. mẽſis noni, a quo fundamẽta tẽpli Domini poſita fuerunt a vobis: Cogitate inq̃ in cordib. veſtris. Nunc ſementis adhuc in apothecis veſtris eſt, necdũ quicq̃ germinauit e vite, neq. e ficu, neq. malo granato, neq. olea: Sed ab hoc die dabo benedictionẽ. Euertã ſolium regnotum, atq. eorũ robur diſſipabo in gẽtib. euertã quadrigas, & quiillis inuehuntur: quin etiã alios aliorum gladiis cõficiã. Atq. ipſis principib. ſigillatim propriã gratiã atq. felicitatẽ ꝓmittit. In illa die aſſumã te ô Zorobabel fili Selathiel, ſerue me⁹, dicit Dominus: & adaptabo te velut annulũ obſignatoriũ digito: Elegi.n. te dicit Dñs exercituum.

Ad te vero ſereniſſima Regina orationẽ cõuertã: quã decet, quo amplioraa Domino Deoq. ſuo, Chriſtoq. eius donaria cõſecuta es, & quo plurib. votis velut rea ei⁹ ſeruituti, atq. obediẽtię teneris: eo magis in hãc tãgloriosã cõfœderationẽ omnibus votis, totoq. pectore incũbere. Quę tãta tamẽ Dei tuierga te merita nõ ea mihi mẽs eſt cõmemorare: qđ neceſſe putẽ, cũ res ipſa teſtetur, quãtoperegratâapud Deũ memoriâ, illarecolas: ſed quod eã rẽ tuę Maieſtati non iniucundã

fore

fore cõfido, & ad tuę pietatis imitationẽ omnib. piis regib. ac principib. p̃ ſua cuiusq. parte, multis nominib. fore putilẽ. Etenim qui vel vocationẽ tuę Maieſtatis in hoc ampliſſimũ regnũ, vel eas res perpẽderit, quas eius adminiſtratione Domin⁹ De⁹ noſter eſt operatus: facile in eã ſpẽ veniet: tuã Maieſtatẽ nõ modo a Dei Dominiq. ſui miſericordia, Eccleſiæ velut nutricẽ eſſe ſuſcitatã: ſed etiam alteram Deboram: cuius ductu & ſapientia Eccleſiam ſuam ab Antichriſti ſuperbia immanique dominatione liberaret.

Primũ. n. quãuis eã moribus legeq. Regni vocarit: vt in hoc regno, Eccleſiã tuã mediis exignib. eriperet: Quis tamẽ nõ miretur eã ex ipſo incẽdio, cui deſtinata fuerat, ſeruatã, & ante Martyrii corona inſignire voluiſſe, q̃ regali? Sed hoc quantæ benignitatis fuit, p̃ religionis, veræq. pietatis nomine damnata, & ab Regina ſorore, vt minimũ dicam, impiorum crudelitati permiſſa: per eum potiſſimum ſeruauit Dei prouidentia, qui ne filio quidem vnico pepercit: quo minus eum vnica veræ pietatis ſuſpitione motus immolaret Antichriſto? Atq. vt intelligamus vim eius animo, ſat ipſo quidẽ per ſe, vt eſt Papiſticæ impietatis natura, crudeli, a Spiritu S. factam: idẽ paulo poſt religionis eius dẽ nomine in Antichriſti gratiã hoſtis tuę Maieſtati extitit capitalis: quo vero melius ſingula-

rẽ Dei prouidẽtiam in tua vocatione agnoſceremus; eadẽ dies & tibi, & Eccleſię ſalutẽ, liberationẽq. attulit. Quin etiam tanta res, & in hoc ſolium tuæ Maieſtatis aſsũtio puellari obtigit ętate: iiſdẽ Dei Chriſtiq. hoſtibus, qui & tuis, rerum potientib. ac eo tempore, quô conturbatis regni reb. & internis, & externis præſidiis pene deſtituta videretur. Tanta vero omniũ bonorũ, & ordinum ſtudia, quibus vt cęlitus oblata, excepta es: præſertim in tanta animorũ exulceratione, cõmuniq. omniũ inter ipſos abalienatione; qdni agnoſcamus Dño inſpirante cõciliata fuiſſe? Singularis autẽ perpetuaque tuæ M. a ſubiectis ſibi populis, tot iã p annos inuiolabiliter ſeruata fides, potiſſimũ in tanta vicinarũ Gentium principumq. infidelitate: preſertim intus foris ve totâ Europa per emiſſarios ſuos nihil nõ moliẽte Papa; nõne ſingularẽ diuini numinis tutelã teſtatur? pſertim vero in ea gẽte, quę partiũ ſtudiis diſtracta, ſępenumero bonos prudẽtesq. principes regni gubernaculis excuſſit. Iã vero tot vitæ pericula, quę T. Maieſt. fraudib. Antichriſti, cõtinenter pene creata ſunt: e quib⁹ eã Dominus annos iam xxx, pernigili cuſtodia liberauit; nõne clariſſime teſtãtur ſingulari Dei prouidẽtia, ſummoq. Eccleſię bono eſſe conſeruatã? Quid, qđ ſicuti ſupra narratũ a nobis eſt, incũbentib. in Eccleſię excidium

dium hostib. Christi, & a tuo exorsis, cũ prẽter copias, quas terra marique inuictas habere se gloriabãtur, plurimum tamẽ motib. internis, atque tumultib. Papistarũ cõfiderẽt: nihilominus tãta populorũ in tuã Maiestatẽ fides, obedientia, constantiaque apparuit, vt ipsorũ Papistarum studium, cum iis, quorum inprimis causa agebatur, certare videretur.

Sed & quam admirãda diuinaque virtute e tot, & tantis terra marique hostiũ copiis, Dominus tuã Maiestatem regnumque tuum tutatus est? qui quamuis eam tantis virib. satis, & super quam esset necesse, instruxisset: quib. ea hostium impetum sustinere posset, & infringere: intactas tamẽ vix vno, aut altero milite hostili manu desiderato, tuas copias seruauit, & ipse pro te depugnare maluit. Quinetiã fractũ illum, tam inuictum scilicet exercitum, per regnorum tuorum fines velut in orbem circumduxit, quasi in triumphum, & pompam: atque vbi visum est, in pœnam ausus sacrilegi, per ea maxime littora afflixit, & impulit, quibus maxime confisus fuerat: & ita illisit, vt per quatuor mẽsium errores, vix pars militum decima euaserit, quæ potentẽ Dei dexteram, atque pro salute tua propugnantem populis ad emẽdationem renunciaret, & ab Antichristo ad Christum Dominum defectionem prædicaret.

Iure ergo Maiestas tua tãta Dei sui tã propitii beneficia non ad suam contulit potentiam; sed ad eiꝰ gloriã, & Ecclesiæ liberationem. Qua

enim parte ei laboranti nõ adfuit, & opem nõ tulit? Quod quidem quanquam est largiter & oportunissimo tempore factum; si tamen par eius est factum, quam nostrę difficultates ferebant; voluntas certe non defuit, & abũde præstitit, quę saluis regni sui rebus potuit. Cuius egregiæ pietati atque volũtati, si cæterorũ principum studia respondissent; quantum quidem humano iudicio licet æstimare; iã diu nihil essет, quod Antichristi molitiones metueremus; sed vix vllas tueretur pristinę dominationis reliquias. Verũ iustissimo Dei iudicio, nobis adhuc incognito, datum fuit illi execratæ Belluæ vincere sanctos: sed ad hoc vsque tempus, quô eo patefacto orbi, vindemiam Dominus agere constituit, botrorum Gomorrhæ, & eos in lacum iræ suæ immittere. Ipsum autẽ Antichristi regnum se excissurum Dominus pollicetur: nimirum cum piis regibus ac principibus cor vnum dederit obeundæ suæ voluntatis: vt bello hanc diram Belluam persequantur & ignib. donec plane consumserint. Huius tę sereniſſima Regina sacrosanctæ cõfœderationis ineũdæ Dominus Deus tuus, qui te tantopere dilectam seruauit, qui tibi tantam solus victoriam confecit, qui nunc capitalem hostẽ Guisium, totamque gentem, & impiam Liguam, ob oculos trucidauit: qui tuum istud soliũ supra cęteros Europæ reges extulit; id abs te remunerationis vicissim expetit: Principẽ te profitea-re: vt quãtum & auctoritate, & gratia, & opib.

(quod

(quod est amplissimũ) valere voluit; tum tuæ, tum salutis communis causa, instes & vrgeas; Dei voluntati vt pareant, & in vnum se fœdus congregent, atque vna contentione attonito tanta clade, insistatis hosti. Quod qua maxime ratione, & vberiore fructu T. Maiestas possit efficere, sue sapientiæ, consiliique sui prouidẽtiæ relinquam. Hoc vnum dixero, tametsi satis intelligam, deiecta semel quercu, non defore cum secutib. suis vicinos, qui ramos excindãt, & fasces suis humeris adaptẽt; Tuæ tamẽ Maiestati multo honorificentius, & in posterum tempus securius, Ecclesiæque Dei fore; si potius piorum principũ opes ad causæ cõmunis defensionem adiunxerit; quam exterorũ principum vires, quæ omnibus proculdubio paulo post grauiores, intolerabilioresq; fuerint. Sed nec istud sine magna Dei offensione fuerit: qui hanc vnam cõmunis liberationis, & eius beatitudinis, quã Ecclesiæ despõdit, rationẽ præfiniuit; Si pii reges & principes in Antichristum pro Christi reparãdo regno conspirarint. Nec .n. nostris cõsiliis res Ecclesiæ regũtur: sed Dei Opt. Max. prouidẽtia, & Spiritꝰ sancti administratione. Cuiꝰ ductũ nisi sequimur, in iis præsertim quæ verbo scripturaq; sancta circũscripsit; vana sunt quę nostra carne sapiẽtiaq; cõsilia suscipiuntur. Id institutũ Dei tuæ Maiestatis auctoritas atq; solicitudo ô sereniſſima Regina, si Christo Domino Ecclesiæq; effecerit; te cæli, te terra, te Ecclesia Deborã celebrabunt,

& hymnũ illi⁹ cõcinent Domino per te partæ ab Antichristo liberationis, & tãtorũ bonorũ causa, quæ se reparata Ecclesia, in eam diuina sua largitate effusurum Dominus re promisit.

Venio nunc ad id, quod hactenus vnũ tãtam Domini, ac Dei nostri, Christiq; eius gloriam, & Ecclesiæ ab Antichristo liberationem, atque eius summã in terris beatitatẽ remoratum est: ad id, inquam, vnum quod scandalũ obiecit piis principibus, non modo ne in vnum cor, & voluntatem omnes coalescerẽt, sed quod etiã eorũ animosita exulcerauit; vt ex eorum distractione enatum sit hoc tristissimũ schisma. Quo factum est, vt non alieniore fuerint a Papa atq; papisticis animo, quã a suis fratribus, eodem Christi sanguine redẽptis, & eiusdẽ Spirit⁹ sancti virtute, in vnũ, & idẽ mysticum Christi corpus coagmẽtatis: in quo alii cũ aliorum mẽbra sint; vt diligere inter se debeãt, & ea cura atq; charitate cõmunẽ salutẽ, velut valetudinem tueri, qua suam: nihilominus cõmuni hosti desertos suos fratres patiantur. Atqui tm̃ dissidiũ, vnde in corpore Christi ortum habuisse dicamus? Nimirum exeo est, cuius Apostolus Corinthiam Ecclesiã in multo leniore culpa grauiter reprehendit: Quod carnales adhuc sumus, nec Spiritu Dei, sicut oporteret, agendos nos satis permittimus: quodque ambulamus adhuc secundum carnem.

Hoc autem schisma quam sit indignum, faciã vt iam cuiuis perspectum sit: & nostrum õmnes

mnes errorem, noſtramq; culpam corã Deo, Chriſtoq; eius agnoſcentes; noſtri noſmet pudeat. Faxit pro ſua miſericordia Dominus, vt pudor iſte nobis ſit ad reſipiſcentiam: ac vt falſis de fratribus criminationibus expulſis, alii alios fraterno animo cõplectamur, noſtrũ iã errorem exoſi, atq; corã Deo Eccleſiaq; profeſſi. Hoc igitur primũ ſit, nullã vſpiã Gẽtiũ Eccleſiã eſſe, ac ne Chriſtianũ quidẽ, qui nõ vt corde credit ad iuſtitiam; ſic non & ore cõfiteatur ad ſalutem; verbum illud æternum, idcirco carnẽ humanã, vel hominẽ potius, in vnius & indiuiſibilis, ſed tamen inconfuſæ perſonæ vnitatẽ aſſumſiſſe; vt per ſui corporis in cruce oblationem, tanquam filius Dei, remiſſionem nobis peccatorum compararet: & per veram carnis & ſanguinis ſui communionem, vitam ſuam æternam nobiſcum communicaret.

Huius tantæ tamque diuinæ & incomprehenſæ gratiæ fatemur, inquam, ad vnũ omnes, Chriſtum Dominũ illius veritatis ſacroſanctæ obſignãdę cauſa, duo Sacramẽta inſtituiſſe: alterum Baptiſmi, alterũ Cœnæ ſuæ benedictæ. Per ſacramentum Baptiſmi exhibet nobis myſteriũ regenerationis noſtræ, e corrupta peccato generatione noſtra in Adamo, noſtrã in ſuo corpore myſtico regenerationẽ repręſentans: per quã virtute Spiritus ſancti: per ablutionẽ animarum noſtrarũ in ſuo ſanguine, inſerimur huic ipſius corpori myſtico, quod eſt Eccleſia, membra: vt per ſanguinis eius cõmunionem

agnaſcamur ei fratres cõſanguinei, Deoq; Patri filii adoptemur, & æternæ vitæ hæredes.

Fatemur & omnes ore velut vno, nos iã per Baptiſmũ regenerationis effectos Chriſti mẽbra; Spiritus ſancti fideique incremẽtis in hoc eodem corpore, incrementa magis ac magis capere, adverberiorem fidem, atque charitatem: donec perueniamus omnes ad perfectã, & adultam ætatem Chriſti. Quod quidem Spiritus ſanctus, qui vbi, & ſicut vult, ſpirat, efficit per verbi prædicationem, aliamve ſicut viſum eſt, rationem. Sed multo maxime, atque efficaciſſime in ſacro Cœnæ Dominicæ epulo; in quo omnes explicat, & aperit æternæ vitæ ſuæ gloriæque opes, & Chriſtum totũ nobis exhibet: vt eo per fidem toto potiamur, & in eius corpore, maiore ſemper incremẽto, per carnis & ſanguinis eius veriſſimam communionẽ, creſcamus & corroboremur validius ad vitam æternam. Quæ Chriſti Domini merita cum tãta ſint, vt amplius nihil nec optare fas ſit, nec poſſimus; quid eſt quod in eodem Chriſti Domini corpore mẽbra collocati, vere iam, quod veteres fabulabãtur, ſeditionem in eo mouemus, & alii alios ex eo, in quo ſunt conſtituti corporis huius loco a Spiritu ſancto, emouere, diuellere, &, vt ita dicã, eluxare volumus? Cõcludã igitur, cũ iſtud tã acerbũ diſſidiũ, neque ab rei natura ortum ſit; quam vnitate ſanciẽda Dominus præſcripſit: neque ab eius obſcuritate, cum res ipſa clara perſpicuaque ſit: ſed ab aliquo

liquo primũ errore extiterit, ſicut ex Ægyptiis illis tenebris, ad admirabilem Euangelii lucem euadentes, nonnihil caligare: & ex illa Babylonica linguarum cõfuſione prodeuntes, minus nos obaudire, & velut obſurdeſcere neceſſe erat. Deinde vt ne quem in communi peccato excuſem; dum ſuos quiſque præceptores tuetur, nec putat ab eorum ſentẽtia, vt ipſi gloriãtur, ne latum quidem pilum recedendum, in iſta mala conſtat eſſe deuentum.

Quod ſi ſicut Chriſto magiſtro vni nos in ſcholã, diſciplinãque tradidimus: ſic eius vnius ſcita placitaque pręciſe tenenda nobis putabimus: cæterorum autem quantæcunque tandẽ erunt præſtantiæ: quantũ cum Chriſti doctrina conſentiẽt; ſopita ſtatim fuerit omnis controuerſia, & in beatam pacem atque vnitatem Eccleſia coaleſcet. Sin, quod quidem de talib. viris ominari piget, cõtentioſiores ſe præbuerint; Audiant pii principes, audiat & Eccleſia, quod tantis malis remedium edocet Apoſtolus. Nemo, fratres, glorietur in hominibus: Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollos, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura: omnia veſtra ſunt: vos Chriſti: Chriſtꝰ autẽ Dei. Sed ipſi paſtores euigilent ad Pauli iudiciũ, quod Eccleſiæ præſcribit: Vtinã, inquit, excindãtur, qui vos cõturbãt.

Sed certe aperta eſt ad concordiam via planiſſima. Nam ipſi reuerendæ plurimũ memoriæ patres noſtri, iidẽque doctores Martinus

Lutherus, Ioannesque Brentius suis libris sæpius testati sunt, & qui etiamnum hodie superstes Ecclesię viuit D. Iacob. Andreas, postrema sua cum Theodoro Beza collatione, sæpius de sua suorumque sententia confirmauit, se nihil amplius super Cœna Domini controuersiæ moturos, modo aperte atque sincere verã cõmunionem agnosceremus in Cœna Domini carnis & sanguinis eius. Atqui quæ supra de ea dicta sunt a nobis, de omnium fratrum, summaque Ecclesiarum consensione dicta sunt. Quod earum confessiones verbis diuersę, sententiis eædem testantur: sigillatim vero Gallicanæ Ecclesiæ, & quæ tota Europâ vnius fraternitatis cõtesseratione censentur, eadẽ quæ sunt a nobis exposita, fusius & apertius explicant, Cõfessionis suæ sectione 30. ad 36. Nam quod ad pauca, quæ in controuersia restare videntur doctrinæ capita: professus & ipse est reuerẽdꝰ doctor Iacobus, in illius de Cœna Domini dissidii appendicem accessisse: qua confessa se nihil iam amplius de cæteris capitibus cõtrouersiæ commoturos, mentionemve facturos. Sed & principum fuerit, vanam hominum curiositatem edictis coercere, & omnes verbi Dei expressi finibus continere.

Stent igitur modo, qui ab illa parte sunt pii principes illorum virorum contestationi: nihil iam fuerit amplius, quod Ecclesiarum vnitatẽ diuellat, nihil quod cõmunem ipsorum cõfœderationẽ distrahat, remoramve afferat: quominus

minus propugnante Domino, ipsorum armis Antichristi regnum quam primum excindatur, atque in cineres cum sua infami sede reducatur: & exurgat toto orbe beata Ecclesię diuturnaque felicitas, qualem nobis verbo Spirituque suo Dominus repromisit.

Quod si quis φιλοπμφοτέρως καὶ φιλονικωτέρως, hominum more, sua tueri velit: præterquã quod est in principum potestate talem coercere: Est etiam cõpendiaria ratio: qua ea proteruia non modo nocere non possit Ecclesiæ, sed etiam magnæ esse ædificationi. Quam fœdum & impium fuerit Arrianum schisma, res ipsa testatur. Nã annos amplius octoginta hæsit in Ecclesiæ visceribus. Cæterum iisdem odiis, quib. nostrum hoc schisma fuit agitatum. Tantum dissidium cum placare, & ad cõcordiam reducere optimus, summęque pietatis cuperet Imperator Theodosius maior, de bonorum omnium Episcoporum sententia, quorum tum temporis pulcherrimam segetẽ ediderat Ecclesia: quorum principes Gregorius Nazianzenus, Basilius, Meletius, aliique complures erant. perspicuam facilemque protulit Sicinius Nouatianorum Episcopus, de Agelii Diaconi sui suggestione sententiam: sed & qua ipsa aduersus auctorem suum, & veritas vendicari, & eius ipsius hæresis facile ab illis Episcopis, & Theodosio Cæsare confutari potuit.

Suasit. n. vt Arrianos ad se Episcopos euocaret, atque interrogaret, vellentne totius cõ-

trouersiæ, quæ ipsis cum orthodoxis erat, arbitros facere bonos patres, qui iam inde ab Apostolis continuata serie Ecclesias docuissent, & quorum scripta e mediis persecutionum incendiis, ad Ecclesiæ ædificationem, fideique veritatem retinendam Dominus conseruasset: in vtriusque responsionis euentum, quid esset consecuturum docuit. Huic consilio cum paruisset Imperator, atque Arrianos ad se euocasset, & in præsentia respondere iussisset; alii cum suæ causæ præsidere videri vellent, simul & inuidiam veriti, ne ab suis Ecclesiis explode-rentur, si patrum Apostolicorum iudiciũ, scriptaque recusarent; dixerunt non repudiare se eorum auctoritatem, neque iudicium. Cæteri, quid esset euenturũ facile intelligentes, negarunt se cuiusquam sententiæ, quã verbi Dei, causam religionis velle committere. Sed quod suo ipsorum sensu vellent intelligi: cõtra apertam veritatem & patrum omnium explicationem. Huic cõsilio suus a Domino minime defuit euẽtus. Nam prolatis patrum scriptis, hæresis illa paulo post concidit: & hæreticis os ita obstructum; vt quo se verterent, non haberẽt: factũq;, vt qui recusarant patrũ subire iudiciũ; vt infames & sibi conscii ab suis deserẽrentur, aut ab ipsis exterminarentur Ecclesiis: vt ab eo tempore hæresis Arriana verbo Dei & authoritate patrum iugulata corruerit; nisi quod Vándalorum, & Gottorum impietate, barbarieque subnixa, nonnihil est. Hunc eundem euentum

eadem

eadē Ecclesiæ felicitate sperare licet a Domino; si pii reges & principes, pastores, qui quidē alicuius sunt nominis, euocatos interrogauerint: velint ne controuersias, quæ inter ipsos tāta animorū exulceratione, & veritatis Christianæ ludibrio verterētur, de patrū Orthodoxorum, ab Ecclesiæ ortu primo, scriptis atque sentētia diiudicari. Cui interrogationi si assenserint, iā cōtrouersia omnis patrū testimonio, atque sentētia sublata fuerit. Sic. n. ita affirmare ausim, vnam totius Ecclesiæ, iam inde ab Apostolis, ad annos amplius octingentos, patrūque ad vnum omnium sentētiam, doctrinamque extitisse, & idem docuisse, quod Anglicanæ, Scoticæ, Helueticæ, Gallicaneque credūt, & confitentur Ecclesiæ. Non quod ignorem eos qui contra sentiunt; videri velle habere se eosdē patres opinionis suæ adstipulatores; sed certe & ipsorum patrum numero, & sentētiarū pōdere, obrui necesse est. Qui patres quod veritatem Sacraméti cum signo sæpenumero cōiungunt, pie id quidē faciūt: sacramētali scilicet ratione: quia nec vana, nec sue veritatis inania signa sunt a Christo instituta; idque perpetuo prope scripturæ more faciunt. Quid autem reuera sentiant, nobisque sentiendum sit, addita interpretationis suæ luce semper exponunt: vt nemini relinquant hæsitandi, dubitādiq; occasionē, nisi defixa semel animis nostris opinio, mentis iudicium perstringeret.

Quā Theodosii auctoritatem, si ad imita-

tionem a Domino Deoque nostro sibi traditã pii reges & principes arbitrabũtur; vna superfuerit cautio, vt inductæ in Ecclesiam nuper ἐπιδιδασκαλίας, istius dogmatis tuendi causa, quæ fidei communis fundamenta conuellũt, vel potius euertunt: de quibus magna sua felicitate nulla hactenus Ecclesiæ ætas quicquam suboleuit; communi omnium prohibeãtur edicto. Ita fiet vt piorum regum atque principũ sacrosancta cõfœderatione sua restituatur Ecclesię, hoc est, Christi Domini beata pax; cuius beneficio quam mox illius cõsequetur ab Antichristo liberatio, simul & felicissima cõstitutio, sub vicario illorum patrocinio; aduersus omnes Sathanæ, impiorũque conatus: & Ecclesia velut rediuiua, ad aduẽtum Domini beata in senectute floreseet.

Adueniat quod promisisti, Domine, regnũ tuum. Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo sapienti, in Christo Domino, Ecclesiaque sanctorum honor sit & gloria, in sempiterna secula. *Amen.*

FINIS.